PYTHAGORICA MARCI ANTONII DE DOMINIS ARCHIEPISCOPI SPALATENSIS, ...

Paul Boudot

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 I
7M

54 - G 9

Digitized by Google

PYTHAGORICA MARCI ANTONII DE DOMINIS

Archiepiſcopi nuper Spalatenſis, nunc iam demum in Lupum ſub ouinâ pelle tranſformati

Noua METEMPSYCHOSIS.

Autore PAVLO BOVDOT Sorbonico Sacræ Theologiæ Doctore, Canonico & Archidiac. in Eccleſia Metropolitana Cameracenſi.

Attendite vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intus autem ſunt Lupi rapaces. Matth. 7.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ,
Typis GERARDI WOLSSCHATI apud Monaſterium D. MICHAELIS, ad interſigne A. B. C.
cIↃ. IↃC. XVII.

CENSVRA.

HÆc *Pythagorica Marci Antonij de Dominis Archiepiſcopi nuper Spalatenſis, nunc iam demum in Lupum ſub ouinâ pelle transformati noua metempſychoſis*, doctè & ſolidè conſcripta, Autore Reuerendo Domino BOVDOT Sorbonico S. Theologiæ Doctore, Canonico & Archidiacono in Eccleſia Metropolitana Cameracenſi vtiliter imprimetur: quod atteſtor infra ſcriptus hac 10. Februarij, anno 1617.

Petrus vinck S. Theologiæ Licentiatus. Decanus Eccleſiæ Collegiatæ S. Gudulæ.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI ET ISABELLAE Claræ Eugeniæ Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgij Principum, priuilegio cautum eſt, nequis Pythagoricam Marci Antonij de Dominis Archiepiſcopi nuper Spalatenſis, nunc iam demum in Lupum ſub ouinâ pelle transformati nouam metempſychôſin, *Autore* PAVLO BOVDOT *Sorbonico Doctore, imprimat aut in has ditiones alibi impreſſam importet aut vēdat, præter voluntatem Typographi, quem Autor ipſe elegerit, ſub pœna confiſcationis Librorum: & alia vti latiùs patet in literis. Datis Bruxellæ die* 20. *Menſis Febr. Anno* 1617.

Signatum DE VVITTE.

PYTHAGORICA MARCI ANTONII DE DOMINIS

Archiepiſcopi nuper Spalatenſis, nunc iam demum

In Lupum ſub ouinâ pelle transformati

NOVA METEMPSYCHOSIS.

CAPVT I.

Exordium quod eſt Apologus de Lupo ſub ouinâ pelle inter oues detecto.

LVPVM olim, vt eſt in Apologis Æſopi, vellus quoddam ſic ſuo corpori adaptaſſe ferũt, vt ſingulæ partes ſingulas membrorum ſuorum ferè contegerent. Ita ille mutato habitu ſimulatáque ſpecie, dum tetræ ac intempeſtæ noctis obſcura & tenebricoſa caligo verſuto huic prædoni fauet, balãtium pecorum veſtigia premit. Verum, dum caulam ac ouile tentat ingredi, opima inde ſpolia clàm ſecum reportaturus, oues ipſæ ſubitò, vt meticuloſum eſt hoc animal, ad ſolum halitum hu-

ius feræ peſſimæ, naturali quodam horrore attonitę, tremere ac trepidare, huc & illuc ſparſim diffugere, tum in vnum ſimul congregari, balatus ſuos ingeminare, canes allatrare ſolito frequentius, Paſtores antè ſomno ſopiti ad hũc tumultum expergefieri, ad gregem ſuum ocyus accurrere, circumcurſare, ac tandem prædonem laruatum in medio latitantem pelle ouinâ obductum ex ore ac vultu, ex vnguibus, ex cauda deprehendere.

O ludicram iucundámque venationem! Ecce vbi lupum iam tenent, clamare, vociferari, moloſſos ad prædam iam captam excitare, canum latratibus, ouium balatu, paſtorum vndiq; pluſquam Stentoreis vocibus aër oppletus intonat. Hinc lupus fuſtibus cæditur, hinc pugnis dorſum eius, hinc pedibus venter impetitur, & ad tantum tumultum accurrunt omnes ex campeſtribus tabernaculis viciniæ, quę hoc viſo ſpectaculo ſimul ouantes applaudunt, & lætantur *ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores captâ prædâ, quãdo diuidunt ſpolia* Moloſſi vndequaque lupum arripiunt, ac frequentibus crebríſq; morſibus vellicant, atque vbi velleris tegumento eum ſpoliatum agnoſcunt, tum latratus morſúſque ingeminant, dentes in eum magis ac magis exacuunt: nec deſinunt, donec fruſtatim belluam hanc totam dilanient ac diſcerpant. Ita prædo præda factus eſt paſtoribus ac ludibrium omni genti.

Iſa.9.

Rides Antoni? —*mutato nomine de te*
Fabula narratur. ſed
Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Atten-

Attendite vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. Mat. 7.

Næ tu callidus & vafer es, Marce Antoni, ſi tu tibi perſuaſiſti, poſſe te, neſcio quâ verborum faſcinatione, quaſi alter Apollonius Thianeus, ſenſibus noſtris illudere, vt atrum pro candido, curuum pro recto nobis obtruderes. Scilicet fortè quia decipimur ſpecie recti.
Verum, ad populum phaleras.

Patere quæſo M. Antoni, vt pellem illam in primis qua te verſipellis extrinſecus cooperuiſti, vniuerſo mundo videndam exponam, vt te lupum eſſe, non ouem omnes exiſtiment, patere quæſo, antequam iſto vellere, quo ſubdolè ſuperamictus es, ridiculè te totum excoriem, vt ex ipſis ſolis vnguibus, vt aiunt, non leonem modò, ſed hirſutum ac deformem lupum, qualis es intrinſecus, te omnibus agnoſcendum tradam. Patere quæſo, vt demonſtrẽ euidenter, quantumuis in tegendâ tuâ lupinâ rabie ſollicitè admodum atque anxiè deſudaueris, aſſumpto extrinſecus manſuetioris ouis veſtimento, & vſurpato, expreſſoque quam ſuauiſſimo potuiſti vocis accentu, ac ſimulato ex arte pedum inceſſu: quod minimè tamen effeceris, neque ſic induſtriùs aut ingenioſus extiteris, vt totus ſub ouinâ pelle deliteſceres; ſed prouidentia diuinâ quadam ad ignominiam tuam permiſſum eſt, vt nihilominus ex ore ac vultu, ex quatuor pedibus & ex cauda lupus rapax, qualis es, facilè deprehendaris.

CAPVT II.

De vultu & ore lupi, quæ ſunt ſimulata fucataq́ hypocryſis Marci Antonij.

COnjicio itaque primùm in anteriora tua oculos, & aduerto Mar. Antoni, quod faciem meam & conſpectum tranſuerſa tuentibus hirquis, omnino auerſeris, Quid hoc, Marce Antoni? quid ſubterfugis? quid me torúis luminibus intueris? quid vultum ac ora detorques? loquere vt te videam. Sic enim te artificiosè tegis, vt an ouis ſis, an lupus, vix primâ fronte poſſim diſtinguere.

Luc. 12. *Attendite vobis à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocryſis*, qui aliud in ore prōptū aliud in pectore clauſum habent. O hyppocritæ, bene de vobis prophetauit Eſaias, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Marc. 7. Licet enim nequitiam ſuam flagitioſamq́ue vitam Laruato ſanctitatis amictu diſſimulent quantum poſſunt, tandem tamen ſi rem acuratè conſideras, vltrò citroq́ue ſe produnt.

Hunc fictum ac hippocriticū vultum ementiti ſunt ab omni hominum memoria omnes in vniuerſum tui ſimiles, hæreſiarchæ. M. Antoni, quorum iam ſatis diu, ſed noſtro damno, lupinam rabiem experti ſumus. Si primò ſub ouium pelle ingreſſi pietatem ac modeſtiam ſimulantes blando ſuo colloquio quod nihil primo intuitu, niſi vitæ, morumq́ue reformationem ſapit, quoſque obuios ad ſe cau-

tè

tè acverſutè alliciũt, iiſque abblandiuntur ſuauiſſimè. Verùm vbi apud pleroſque, quorum ſibi fraude, doloque conciliarunt amicitiam, plurimùm ſe gratiâ valere animaduertũt, tum demùm depoſitâ, quâ antè ſe texerant, fallaci laruâ, quaſi laxis habenis inſolẽtiſſimè debacchantur & Chriſti gregem nihil tale meditatum dentibus miſerabiliter dilaniant.

Similes nempe ſunt portentoſis illis Homeri ſyrenibus, quæ ſuauitate concentus, vociſque ſuæ illecebris miſeros nautas, qui goſſipio aures non obturarent, incautè allectos præcipiti naufragio abſorptos obruebant.

Similes fallacibus illis Prophetæ lamijs, quæ diſtentas hominibus mammas exponunt, fortè vt mellita ſui lactis dulcedine paulatim inescatos voraci ſui ventris & abdominis ingluuie auidiſsimè deglutiant. *Tren.4.*

Similes effæminatis illis Apocalypſeos ex puteo abyſsi eductis locuſtis, quæ facie venuſtâ & decorâ, ſparſis in aëra capillis, & cæſarie calamiſtratâ muliebrem pulchritudinem referunt, quibus in amorem ſpectantium à fronte ſeſe inſinuant, ſed à tergo in ſcorpiones deſinunt, quorum licet blanda ſit facies, cauda tamen poſterior venenis malis imbuta, eos, quos peſtilenti aculeo pungunt, omnino ẽnecant ac interficiunt. *Apoc.9.*

Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labijs eorum. *Pſ.139.*

Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant. *Pſ.13.*

Sed *beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum,* *Pſ.31.*

nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Hoc vultu ſimulatæ ſanctitatis & hipocryſis appares M. Antoni, quem ita fucatè concinnas & adaptas vt prudentiſſimos quoſque facilè decipias, niſi te perſpicaciſsimè intueantur.

§. I. *Cauſæ fallaces defectionis Marci Antonij.*

NAm ecce dum ſubiti & inopinati diſceſſus cauſas aperis, tantâ calliditate ac artificio eas contexis vt imperitæ plebeculæ non modò, ſed & eruditioribus, ſi fieri poſſet, tenebras & caliginem effundas.

In medium theatrum quaſi perſonatus prodis, veſte præcinctus pharisaicâ, multâ canitie venerabilis, vultu pietatem mentiente, & de longâ feſſus viâ, dum aliquantiſper tibi per otium quieſcere licuit, miris verborum lenociniis fugam tuam adornas.

Tu fucato ſermone propoſitum tuæ profectionis exponis, Deum in teſtem aduocas ſinceræ mentis tuæ, teſtimonium tibi perhibente conſcientiâ, quod inſtinctu ſpiritus interno, quem ex Deo eſſe probare contendis, hoc conſilij ceperis.

Tu enim ſubtiliter & aſtutè occaſiones omnes & cauſas remoues, quibus hæreſiarchæ cæteri ferè dicuntur à fide ſua & religione defeciſſe. Non te, inquis, ambitio effrænis, non immoderata diuitiarum cupido, non inſatiabilis auaritiæ ſitis eò adduxit, quippe qui abundanter

iis

iis domi afflueres ex beneficiis ac dignitatibus, quibus tibi ſatis ſuperque prouiſum erat, non te veſana gloriæ libido, non popularis auræ fauor, non dominandi appetitus abripuit, quippe qui ad ſummum Archiepiſcopatus ac primatus honorem in patria tua fores euectus.

Non te vlla impatientia, quæ alios plerumque ſolet, aut indignatio tranſuerſum egit; non præcipitanter & aliorum perſuaſione, neque inſtar puerorum, qui leuiſſimis argumentis circumaguntur, quippe qui ſexagenarius es, ſed per integrum decennium deliberatione maturâ, reuolutis ad veritatem indagandam naſcentis Eccleſiæ veterumque Patrum monumentis in hanc tandem ſententiam paulatim deſcendiſti.

Ita probaſti ſpiritus, an ex Deo ſint, nihilque reliquum eſſe putas, quo dubitare debeas aut poſſis, vocationem hanc menti tuæ diuino afflatu inſpiratam. Sic ergo nihili facis eos, qui ſuis obliquiis & obtrectationibus famam, honoremque tuum proſcindent, & cum Apoſtolo tibi *pro minimo eſt* vt ab hominibus dijudiceris, tibi perinde eſt ſiue per infamiam ſiue per bonam famam pro nomine Ieſu contumeliam pati. 1. *Cor*. 4. 2. *Cor*. 4.
O vafrum ac verſipellem hominem!

Hæc omnia tua facies eſt, ſed cauete à faucibus lupi ſub eiuſmodi pelle latitantis.

Qui legitis flores & humi naſcentia fraga, *Virgil.*
Hinc fugite ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

§ .2. *Simulata per decennium eius Religio.*

VNVM eſt, Marce Antoni, quod præ cæteris mirum in modum obſcuras tenebricoſæ mentis tuæ latebras ac receſſus: quod abditiſſimos anfractus animi tui ſimulatamque doctrinam euidentiſſimè conuincit.

Nunquid faſſus es te in laborioſo quodam decem librorum opere conficiendo per decennium integrum deſudaſſe, quo noſtræ religionis pręcipua fundamenta labefactare moliris? nunquid tu per tam longum temporis ſpatium dies noctéſque inuigilaſti, vt fidem orthodoxã non veterum quidem patrum fidei, ſed fidem eorum antiquam, nouis tuis opinionibus ac perſuaſionibus conformares? nunquid tu publicum magiſtratum gerens in Archiepiſcopali dignitate conſtitutus, toties Pontificalia munera exercuiſti, ſacrificium Miſſæ toties, vti opinor, celebraſti, res fidei Chriſtianæ, verbum Dei publicè prædicando, toties examinaſti; quo modo ergo adeo ſubdolus ac ſimulatus fuiſti, vt nouam illam doctrinam excogitatam à te per continuos annos decem reticeres, quam nihilominus eſſe veram Chriſtique mentis ſic eſſe conformem tibi perſuadebas vt eam vniuerſo mundo propalare, tua te conſcientia (licet fallax) vrgeret atque auctor eſſet? Quomodo verò è contra (quam iam dudum conceperas animo) religionis noſtræ falſitatem non modo aperto tuo ſermone non publicaſti, ſed

etiam

etiam tam diuturno ſilentio, tamque longâ diſſimulaſti taciturnitate, vt populo tuæ fidei commiſſo contraria tibi ſentienti conniueres? O fucatum hominem ac proditorem inſignem qui dignus ſit vt à mortalium nemine amplius in poſterum ei fides adhibeatur.

Apage hinc inueterate dierum ſenex & quocumque diuerteris, te omnes à ſuis laribus & focis abigant. Etenim vt Satyrus olim meritò dixit, facile non eſt cum eo commorari, ex cuius vno ſimul ore ac anhelitu & frigus & calor emanant. Cauete vobis ab iſto perfido illuſore quotquot eſtis vbique terrarum Chriſtiani, nec ſinite vos ab eo miſerè faſcinari, qui, quod non docet ore, corde ſentit; & quod non ſentit animo, docet tamen ore, ac verbis fallaciter exprimit.

Quoquò te verteris M. Antoni, victus & captus es, & licet profugus ſis, non tamen effugies. Inſtabo, vrgebo, nec patiar vim huius argumenti tuis tergiuerſationibus eludi. Solue hunc nodum pluſquam Gordianum ſi potes, & extrica te his labyrinthi Mœandris, in quos adeò imprudenter, ac malitiosè te conieciſti. Adeſdum, adeſdum M. Antoni, cur te hinc ſubducis? vidéſne te hoc argumenti genere ita premi vt nullâ declinatione corporis hunc ictũ poſſis euadere? Nam ſi ab initio huius decennij ad opus illud nouum ſuper noſtræ religionis dogmatibus ritibuſq; reformandis compilandum animum appuliſti, quia eam erroribus infinitis ſcatere credebas, cur tibi non venit in men-

mentem vt te illo tuo Magiſtratu & Epiſcopali dignitate abdicares, quæ toto illo decennio, vel reluctante conſcientiâ, tibi contraria docendi neceſſitatem imponebat?

Si errores aliquos, vir oculatiſſime, in fide noſtrâ, ſi ritus veræ pietati aduerſantes iam tūc obſeruabas, cur non ea fortiter impugnaſti: ſi tua noua dogmata, quæ te in lucem breui editurum polliceris, articulos eſſe fidei tum credebas, cur tam diu in his proponendis hæſitaſti? cur in ijs euulgandis tergiuerſatus es? cur non pro hac fidei veritate pro aris & focis dimicaſti? cur pro tam iuſtâ veræ religionis cauſsâ, mille mortis periculis te non expoſuiſti, ſanguinemque inſtar glorioſorum Martyrum effudiſti? dic M. Antoni, reſponde; nimis delicatus es miles, ſi putaſti te ſine pugnâ vincere, ſine

Matt. 10. victoriâ triumphare, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, inquit Chriſtus.

Nam ſi pro Chriſti cauſa prælium ac certamen detrectans, vitam quidem corporis incolumem ac ſuperſtitem ſeruare ſtuduiſti, an neſcis propterea mortem animæ tibi conſciuiſſe, proprioque te iugulaſſe gladio? *Si quis enim confi-*

Matth. 10. *tebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo*, inquit Chriſtus, *Si quis autem me negauerit coram hominibus & ego negabo eum coram patre meo*, inquit idem ſeruator noſter.

Sin verò quæſtiones mouiſti ἀδιαφορὰς & nullius aut parui ad fidem momenti, dic obſecro M. Antoni, cur nodum in ſcirpo quæſiſti? cur tam longorum annorum in tam longum opus

tuum

tuum tam longos labores impendiſti, vt inſtar araneæ fragilem ac inutilem telam muſcis tantùm capiendis texeres? ſed ſcio, non is tuus finis fuit: longè alius oculis tuis præfixus eſt ſcopus ad quem collimabas, nempe vt ſiquo modo fieri poſſet, ſedi Apoſtolicæ, Romanoque Pontifici hoſtibus tuis acerrimis negotium aliquod faceſſeres, vt nouos tumultus inſtar Lutheri & Caluini anteſignanorum tuorum, nouaſque tragœdias in Europa excitares, vt denique ipſam Eccleſiam jam alioqui ſatis multis hæreſeon tempeſtatibus fluctibuſque agitatam, belloruſque turbinibus concuſſam in nouos vndarum vortices flagitioſiſſimè pertraheres.

Vis M. Antoni vt cum Gregorio quiſnam ſis, paucis expediam. *Adeſt tibi exterius fletus corporalis & intus obſtinatio voluntatis: ſtrepitu verborum Deum laudas & corde vituperas: intus Nero, foris Cato; intus diabolus, foris Angelus; intus lupus, foris agnus: facies ouina, ſed conſcientia vulpina.*

Tu eorum numero adſcribendus,

Qui Curios ſimulant & Bacchanalia viuunt,

CAPVT III.

De Pede anteriori dextro lupi, qui eſt, Superbia & arrogantia M. Antonij.

DExtrum vt video pedem M. Antoni, in ouile Chriſti primum inferis, quem, quia principium eſt motus, ipſe volens nolens detegis, eoque te lupum eſſe prodis, dum ambulas ex-

extento collo, & nutibus oculorum & compoſito gradu incedis, dum erecto ſupercilio & ſuperbâ fronte longâ verborum ſerie merita tua reſque præclarè à te geſtas receniſes ac ſupra modum etiam vſque ad nauſeam exaggeras.

Nec mirum, ſicut ſuperbis omnibus hoc cõmune eſt, primos accubitus in menſis appetere, cæteriſque velle anteponi, ſic etiam hoc tuo pede ſuperbiæ primo progrederis.

Hæreſiarcharum omnium hic pes proprius eſt. Nam præterquam quod omni peccato ſuperbia ita coniuncta eſt, vt illud non perpetretur vſquam, quin ſemper temerario auſu & arrogãtiâ violetur lex Dei; hanc etiã hæreſis non ſine magno faſtu peruicaciã ſuperaddit, vt ſit opinio cõtra fidem cui quis ex proprio ſuo ſenſu mordicùs & pertinaciter adhęret. Nec enim eum theologi hæreticum cenſent, qui opinionem aliquam amplectitur etiam in fide falſam, niſi eam contra decretum vel communem ſenſum Eccleſiæ ſuperbâ obſtinatione tueatur ac ptoteruè ſuſtineat. Errare potero, hæreticus non ero, inquit ille. Quare ſi fieri nulla ratione poteſt vt quis peccator ſit & non ſuperbus, multo minus hæreticus.

Huius autem pedis ſuperbiæ cum multi ſint vngues, quibus lupina hæreſiarcharum rabies proditur, vt oſtentatio, ambitio, φιλαυτία, obſtinatio, & impatientia; patere quæſo M. Antoni, vt ex ſingulis illis euidentiſſimè te lupum eſſe conuincam.

§. Pri-

§. I.
Oſtentatio & iactantia.

ITaque vt ab ouo initium ducas, olim te ſocietatem Ieſu ingreſſum iactitas, ibique multis occaſionibus tibi contigiſſe ingenij ſpecimen edere, docere literas humaniores, Mathematicas diſciplinas explicare, ſcientias Philoſophicas exponere, verbum Dei nuntiare, denique te in pluribus magni momenti negotiis occupatum, induſtriæ tuæ ac prudentiæ non leuia exhibuiſſe argumenta.

Pergis M. Antoni, & ampullata vultu tetrico ac ore iactabundo verba pronuntias, ſcilicet ob præclaras tuas virtutes ad Epiſcopatum Segnienſem primò euectum te aſſeris, tum ad Archiepiſcopatum Spalatenſem ſeu Salonitanum, qui duorum regnorum Dalmatiæ & Croatiæ Primas exiſtit; te domi foriſque famâ ſuper æthera notum, & ita notum, tantæq; exiſtimationis vt quiuis alius inquis. Denique ſic inſolenti oſtentatione intumeſcis vt merito verendum ſit, ne inſtar Iudæ proditoris crepes medius, nam & prçclara tua in Rempublicam Venetam merita non ſolum prædicas, ſed & tibi tanquam excellentis ingenij viro ad ſublimia quæque nato commiſſa magni ponderis negotia non ab Archiducibus Auſtriæ modò, ſed & ab Imperatore, ac ſummo Pontifice affirmas, quorum adhuc apud te literas in depoſitum cuſtodis tanquam ampliſſima induſtriæ tuæ teſtimonia. *Act. 1. cap.*

O va-

O vanum ac ſtolidum hominem!

Audite quæſo hunc Plauti Mibitem glorioſum, hunc Terentianũ Thraſonem, hunc Phariſæum Euãgelicum ſuas virtutes oſtentãtem; Luc. 18. *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, adulteri, ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium, quæ poßideo.*

Quin tu potius prono in terram vultu ac totus pudore ſuffuſus, manibus ſtomachum; pectuſque tundentibus, inſtar Publicani exclamas, *Deus propitius eſto mihi peccatori.*

§. 2. *Ambitio immoderata ipſius.*

VNum eſt hic quod tibi excidit M. Antoni, quo ſuperbam tuam ambitionem mirum in modum prodis, nam tanti apud patres ſocietatis te fuiſſe aſſeris ob præclaras ſcilicet animi dotes, quibus te natura & ars abundè cumularunt vt magnum tui deſiderium reliqueris apud eos, dum tu ad Epiſcopatum promouereris.

Videſne, Marce Antoni, quomodo præter mentem detegis pedem lupinum ſuperbiæ tuæ, dum immoderatam animi tui ambitionem etiam volens nolens aperis? Præcluſæ ſunt enim omnibus Societatis patribus fores ad dignitates appetendas, & graues pœnæ per eorum leges impoſitæ iniunctæque iis, qui quoquo modo vel quæſito colore per ſe vel per interpoſitas perſonas, ad honores clàm vel palàm anhelant: & merito quidem, nam cum in ea religione tot tamque celebres viri reperiuntur, qui non tantum

tum omni ſcientiarum genere referti, ſed rerum etiam gerendarum peritiſſimi ſunt; ſi quãdo hæc illis ianua pateret, daretúrque ambitioni locus, tota hæc ſocietas ſuis, quas tam altas iam egit, quaſi radicibus euulſa, breui ſine dubio corrueret.

Tu verò M. Antoni, furioſam hanc ambitionis Megæram, dum adhuc inter Patres ageres, haud dubiè in ſinu tuo fouebas, quæ animum tuum tacitâ quadam meritorum tuorum præſumptione ad Epiſcopales infulas aſpirantem perpetuò lancinabat, neque pectus tuum ſuis crudelibus flagris verberare deſtitit, donec tibi tandem illud proponeres *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum*, cumque duræ ceruicis eſſes, &, ni me mea fallit opinio, impatiens iugi, *Dirupiſti* præceps *vincula* tua, non vt ſacrificares Deo *hoſtiam laudis, & nomen Domini* inuocares: ſed vt ab eo legis præſcripto eximeres te, quę non modo ad omnes honores tibi viã obſtrueret, ſed etiam te aſtringeret ad eorum contemptum, ac deſpicientiam vanitatum. *Pſal. 2.* *Pſal. 115.*

Barbarus iſte ambitionis carnifex an non perpetuò animum tuum excruciabat? fatere ingenue, M. Antoni, quid vltrà crimen tuum retices iã ſatis aliundè detectum? Culpã agnoſce ſi ignoſci tibi vis, vt habeamus confitentẽ reum. Nunquid ipſa vehemens ambitio in religione tibi perpetuæ torturæ loco fuit, quæ tuũ quaſi alicuius noui Promethei ad Caucaſum montem alligati rediuiuum iecur, inſtar aquilæ roſtro & vnguibus crudeliter diſcerperet? Nunquid religio ipſa ſancta tibi baratrũ quoddam

dam

dam ac Infernus erat, vbi te dira ipſa ambitio tua inſatiabilem Tantali ſitim ac famem, intolerabiles ac inexhauſtos Syſiphi labores, & Ixionis rotas experiri cogeret?

Virgil. *——Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames?

O duram nimis M. Antonij carnificinam, quæ etiam te extra Societatem egreſſum proſecuta eſt perpetuò, & adhuc, ni fallor, in hac tua ſenili tranſmigratione ſeraque Catholicæ religionis mutatione proſequitur.

Tu tibi, credo, perſuaſiſti M. Antoni, legatos à regibus & principibus vel ipſoſmet Alexandros tibi, vt alteri Iaddo Iudæorum pontifici ſummo, in occurſum venturos, qui puluerem pedum tuorum quaſi noui Meſſiæ lingerent, veſtigia pedum tuorum proni ac humi procumbentes exoſcularentur, & te vt alterum Baptiſtam interrogarent, *Helias es tu? Propheta es tu? Meßias es tu? quis tu?* (Iſa. 49. — Iohan. 1.)

Tu tibi, credo, perſuaſiſti nouos iterum Magos, ſtellâ duce præuia, magno cum apparatu, Deo ſic ordinante, tibi obuiam ituros, qui te procidentes adorarent & apertis ſuis theſauris offerrẽt tibi vt alteri Meſſię *munera, aurum, thus & myrrham*, at ille tum puer naſcebatur, tu verò ſenex ac decrepitus ad tumulum iam properas. Niſi fortè meritò dicamus te inſtar Troglodytarum, qui ferè ad modũ, quo infantes ex vtero materno naſcuntur, mortuos ſuos conglobato eorum corpore, reductiſque ac reuolutis ad os genibus, quaſi de nouo ad ſuæ matris vterum reuerſuros humo terræque mandabant; te inquam, (Matth. 2.)

quam, inſtar deliri ſenis repueraſcere dicamus ac velle renaſci, dum iam alterum pedem habes in cymba Charontis. Quod ſi tibi breui contingat ex hac vita excedere, ne nimis diu delires, eaque nimis moleſta tibi ſit, amplius labor & dolor, noſtrum erit Thracum mores æmulari, qui ſuorum quidem ortum lugebant: interitum verò pompis & magno excipiebant gaudio. Niſi fortaſſis etiam de te dicamus, & quidem appoſitè, quod de Saule ſcriptura teſtatur, illum vnius anni fuiſſe, cum regnare cœpiſſet, quo nempe innuit id quod alibi diſertis verbis habet, ſenectutem non annorum numero, ſed virtutum potius meritis eſſe computandam. Te vero Marce Antoni cum eas fortè paucis admodum annis verè, ſolideque colueris, nō tam ſenem, quam puerum appellare liceat. *1. Reg. 13.* *Sap. 4.*

Tu tibi, credo, perſuaſiſti diuinos aliquos honores tibi meritò deferendos, tanquam alteri Apollinis Delphici oraculo ex tripode reſpondenti, cui fides ſine vlla diſquiſitione tuorum dogmatum ſit protinus à nobis adhibēda, quaſi à nouis de nouo renaſcentis Pythagoræ diſcipulis, quibus ſufficiat illud ſuum ἀυτὸς ἔφα, delatos autem huiuſmodi honores, vti ſuſpicor, non aſpernareris aut reſpueres inſtar Ioannis Baptiſtæ, qui *confeſſus eſt & non negauit, quia non ſum ego Chriſtus.* *Iohan. 1.*

Quis non miretur hominis ambitioſam ac inſolentem audaciam? Tu verò M. Antoni ætate iam prouectâ, ſexagenarius ac decrepitus ipſe te itineri accingis, idque ſub hyemem: ad partes Boreales migraturus atq; frigidiſſimas,

duriſſima quæq; perpeſſurus, vt Eccleſiā tuo iudicio deformatam ac penè labentem reformes ac reſtaures. Quomodo quæſo ipſe quaſi præ cæteris omnibus ſapientior fores, te huius toties agitatæ querelæ, toties motæ controuerſiæ arbitrum aut iudicem ſolum audes conſtituere, quam tamen litē nulli hactenus viri, licèt omni ſcientiarū genere conſpicui ſi â eruditione ac doctrinâ, nec vlli Principes ac Reges aut Imperatores potentiſſimi ſuis armis dirimere vnquā potuerunt; niſi aut alter Meſſias de cęlo haberi velis, qui de nouo ſis redempturus Iſrael, vel aliquis ſaltem propheta magnus, cuius lingua ſit
Pſal. 44. *calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, vel quod longè probabiliuseſt, niſi aliquo veterno labores, aut helleboro egeas.

Stulte, ſtultè quidem has prodigioſas Chimæras honoréſque imaginarios ac fictitios tua tibi effinxit inſatiabilis ambitio, quæ tibi perperam montes aureos, credo, pollicita eſt, à qua tamen te deceptum tandem iri non ambigo, accipe hoc à me, Marce Antoni, veluti fortunæ tuæ præſagium: non ero, vt opinor, falſus Vates aut vanus coniector & aruſpex. Ad tanti viri, qualis es, fateor equidem, primum aduentum qui ab Apoſtolica fide inopinatò diſcedis, & quod poſt Arrianam hæreſim (quam tot etiam Epiſcopi ac Antiſtites olim amplexati ſunt, vt
Hiero. dial. ad Luciferian. ingemiſcens orbis vniuerſus ſe Arrianum eſſe miratus ſit) ferè his poſterioribus ſæculis inauditum, tu Archiepiſcopus & primas à religione Catholica & Romana ad aliam nouam tranſitum facis, quam totam penè nouam cudere

pro-

promittis, àd te inquã, primò aduentantẽ omnes ſine dubio (vt ſunt hac miſera ætate ac inconſtante maximè nouarum rerum cupidi) turmatim ac tumultuariè accurrent, ex ore tuo frequentes pendebunt, vt noua tua & recõdita myſteria intelligant, tuam fortaſſe canitiem primò venerabuntur, tuam doctrinam vt oracula ſuſpicient ac mirabuntur, ſed vbi docti ac eruditi te nihil noui afferre præter methodum animaduertent, nihilque à te dictũ, quod non iam dictum ſit prius, mihi certò crede, vt à faſtidioſo ac delirante ſene ſinguli, paulatim ſe ſubducent. Quod ſi quis fortè tibi à regibus aut principibus honor deferatur, momentaneus & inſtar bullæ tranſeuntis euaneſcet, tuumque conſilium quod tot annos mente agitaſti, in fumos abibit & ſomnia, diceſque tãdem, ſed *ſerò ſapient phryges*, illud Dauidicum, *Dormierunt ſomnum ſuum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.* *Pſal. 75.*

Experieris Marce Antoni ſeriùs ociùs vaticinationem meam, & hæc tibi euentura non ſine probabilibus coniecturis auguror, niſi, quod faxit Deus, tandem aliquando reſipiſcas.

§. 3. *Amor inordinatus ſui & philautia.*

PErge vlteriùs Marce Antoni atque progredere vt pedem hunc ſuperbiæ tuæ, quæ hæreſiarcharum propria eſt, magis ac magis detegam.

Quis dubitat ex innatâ tibi gloriæ, ſed infamis cupiditate animum te appuliſſe ad ſtudia,

frequentémque veterum patrum lectionem, vt reuolutis eorum libris non ſuaues & odoriferos florum ſuccos ad mel inſtar apis,ſed ad venenum conficiendum inſtar araneæ vel ſerpentis exſugeres ? mihi videor videre te in muſæo tuo latitantem toto decennio excerpētem ex auctoribus quibuſque omnia quæ putares in religionis noſtræ ac fidei perniciem facere, ac in locos communes ſingula redigentem, vt ex eâ exquiſitâ ſententiarum & hiſtoriarum farragine,libros illos decem coagmentares,quos vt tuos ita iactitas & tanti facis,quaſi nouum opus arduum ſuſceperis, ſuperioribus ſæculis inuiſum & inauditum.

Tu in iis, quæſo, quam longum tempus triuiſti: quantos labores impēdiſti? quantum olei inſumpſiſti?

Ex iis orta tibi in animo tuo medullitùs infixa quædam φιλαυτία eſt & immoderatus amor tui ſeu potius tuorum, vt quemadmodum parentes plerumque in ſuas proles ita exardeſcunt, vt ad earum mortem euitandam, mille vitam ſuam periculis exponant; ſic tu Marce Antoni librorum tuorum vt filiorum nimis indulgens pater es, quippe qui omnem ijs diuagandi ac ſine frœno extra domus tuæ limites excurrendi dediſti licentiam,contentioſè cum ſodalibus ac vicinis altercandi rixandiq́ue,cōtumelioſè quoſque obuios calumniis laceſſendi,ac iniurioſè ipſis etiam inſontibus vulnera infligendi. Sic eos vti aliquid tui & chara tua pignora inordinato amore deperis vt potius quàm vt illi perdantur, teipſum malis perdi.

O cæ-

O cæcam hominis philautiam! ô pernicioſam nimis gloriæ libidinem!

Ad te Marce Antoni, vt ad omnes tui ſimiles ſcribas & phariſæos Ioannis illa Baptiſtæ verba conuertuntur, *Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à venturâ irâ?* Tempus enim parturitionis aduenit, M. Antoni (vtinam vires non habeat parturiens) tempus quo decem illas proles, quas tu iampridem concepiſti, ſimul parere properas, & paries fortaſſe, ſed non niſi viperino partu, quo ſoboles vitam parentis naſcendo extinguunt. Quin potius Marce Antoni hunc in liberos nimium amorem reprime, fœtus illos tuos intempeſtiuos comprime, ac licèt iam conceptos, nondum tamen in lucem editos in vtero tuo maturè ſuffoca, ne ab illis naſcentibus tu ipſe crudeliter opprimaris. Audacter, animosè, M. Antoni, ac fortiter in negotio iſto te gere: quid trepidas meticuloſus, non propter eiuſmodi procuratum vi filiorum tuorum aborſum impius parens habeberis. Totum crimen, ſi quid in eo admitti putas, totum hoc, quantumcunque eſt, quod certè nullũ eſt, in me lubens vltrò citroque ſuſcipio. *Beatus qui allidit paruulos ſuos ad petram* ſcilicet qui Chriſtus, & verè lapis Lydius eſt. *Matth. 3.*

§. 4. *Obſtinatio & Contumacia.*

SEd & ſuperbiæ tuæ omniumque hæreſiarcharum comes indiuidua eſt obſtinatio & contumacia, qua tu obfirmato animo à tam multis annis Eccleſiæ matri tuæ morem gere-

re neglexiſti, dum per decennium integrum ſalutaria eius monita reſpuiſti, quæ illa non ſine magno mœrore ac luctu per illuſtriſſimũ nuntium Venetum, qui tua iam falſa dogmata, vt ipſe ingenuè fateris, & imminentem tuam à noſtra vera religione deſertionem ſubolfecerat, tibi quaſi perditiſſimo ac deſperatæ quaſi ſalutis filio quandoque propoſuit. Verùm ita peruicaciter animi tui ſenſa complexus es, ita tuis opinionibus licèt falſis mordicus adhæſiſti, vt in iis tanquam aliqua Marpeſia cautes, non obſtantibus quibuſcunque rationum ponderibus aut argumentorum momentis pertinaciter & immobilis perſtiteris, nimirum iam longè antè, credo, proteruiæ huius & contumaciæ tyrocinium ſæpius in ſocietate Ieſu feceras, à qua eam etiam ob cauſſam fortaſſe dimiſſus es.

§. 5. *Indignatio & Impatientia.*

INdicat & hunc Lupinum ſuperbiæ tuæ pedem animi tui latens indignatio, quam tu, Marce Antoni, tantopere diſſimulare contendis. Cùm enim conſequentia tua cum antecedentibus verbis connecto, exerit, neſcio quo pacto, impatientia tua caput, quæ te ſedi Apoſtolicæ ac Romano pontifici vehementiſſimè infenſum prodit.

——— manet altâ mente repoſtum,

Virgil. *Iudicium Paridis, ſpretæque iniuria formæ.*

Nam cùm de nupero Venetorum interdicto ſermonem facis, ab eorum partibus, licet iam tum fortaſſis Epiſcopus eſſes, ſtetiſſe te palàm

ex

ex eo colligo, quod non mediocria fuerint, inquis, tua erga rempubl. hanc merita, quodque durante interdicto eiuſmodi vos Epiſcopos ſub Venetâ ditione morantes, vt rudes pecudes, imperitos à Sede Apoſtolica exceptos cõquereris. Hinc impatientia altùm infixa in pectore tuo magnas radices egit, ac indignationem quaſi flammam aliquam latitantem paulatim excitauit, atque, vt es volubilis ac ferocis animi, prout ex iſto vngue te iudico, cõtra Romanam ſedem tibi fortaſſe infenſam cœpiſti primò, ſed adhuc clàm & quaſi per cuniculos apud te tacitus agere, atque in eius perniciem & cladem aduerſa omnia meditari, quæ ſuo tempore aliquando ex impuro tuo ſtomacho non ſine ſtomacho euomeres, dum ingentem ſtragem facturus in eccleſiam extrema quæque impius molireris.

Atque ſi diuinare fas eſt, decennium illud quo tuum opus decem librorum tam laborioſè compoſuiſti, ab illis circiter annis cœpit effluere, quibus reſpubl. Veneta interdicto, Apoſtolico ſubiacuit. Scilicet ab ea tempeſtate quâ cum aliis pluribus Romanæ ſedis auctoritatem imminuere ac eneruare, ambitionis vel aſſentationis causâ contendiſti, totus in id incubuiſti, maximè, vt aduerſus Romanum Primatum tela omnia tua contorqueres, & in ſummum pontificem præ cæteris, quaſi in ſcopum, quo venenatæ tuæ ſagittæ vibrarentur, oculis collimaſti. Indignationem iſtam indies auctam incrementis etiam adauxêre magis, vti ex verbis tuis conijcio, violata tuæ Metropolitanæ

iuriſdictionis auctoritas non modò per Apoſtolicam Curiam, quæ forſitan tuos violentos impetus haud ſuſtinebat, ſed etiã per tuos ſuffraganeos Epiſcopos, qui tua, ni fallor, & importuna mandata & imperioſas ordinationes iuſtè detrectabant. Ab ipſo ſummo Pontifice, ab ipſáque ſede Romana, vti ex antecedentib. non temere ſuſpicor, nonnihil aliquando impetrare conatus, meritò paſſus es repulſam ab iis maximè, in quos tam impiè te gerebas.

Horat. *Virtus repulſæ neſcia ſordidæ*
Intaminatis fulget honoribus.

Tu idcirco, indignabundus, feruentique irâ percitus apud temetipſum cœpiſti has in querelas erumpere. Vlciſcar, vlciſcar, & non patiar amplius tantis me contumeliis affici.

Virgil. *Flectere ſi nequeam ſuperos, Acheronta mouebo.*

Deſeram patrios lares & tam ingratis parentibus relictis in regionem longinquam abibo, & portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit, diſſipabo viuendo luxurioſè.

Idem. *Eſt mihi namque domi pater, & iniuſta nouerca.*

Cœpit igitur tum eiuſmodi flamma ſub cineribus deliteſcens, magis ac magis excreſcere, ſcintillaſq; copioſiùs eructare, quæ ſub illo foco compreſſæ fouebantur.

Tu interea, M. Antoni, trepidus ac meticuloſus domi verebaris, ne eiuſmodi fauillæ, quæ è medio ſinu tuo quaſi per rimas iam ſcintillabant, ignem ipſum proderent, ad quem extinguendum vndequaque magno impetu & acclamationibus concurreretur.

Quod

Quod vtinam maturè ac tempeſtiuè factum eſſet, ne te tuóſque repentina hæc per vniuerſum orbem diffuſa & victrix flamma corripiat, quæ calamitoſam reipublicæ Chriſtianæ cladem inferat & vaſtitatem.

Verum tu, Marce Antoni, vbi aduertiſti cuniculos tuos detegi, conſilia tua publicari, faces vulpinæ tuæ caudæ, vt tempore Sanſonis, alligatas, ad totius Meſſis Eccleſiæ conflagrationem accenſas iam patefieri: protinus opus tuum, negotia & fugam acceleras, itineri te accingis, & inopinatæ tuæ profectionis cauſas inter medios Batauos ſecurus aperis.

Ecce igitur, M. Antonius abiit, euaſit, erupit

Migrauit Iudas propter afflictionem & multitudinem ſeruitutis, habitauit inter gentes nec inuenit requiem. *Thren. 1.*

§ 6. *Exhortatio ad humilitatem.*

SEd quoniam hactenus egi, vt ex hoc vno tuo pede ac vnguibus, quocunque tandem fugeris, lupus rapaciſſimus agnoſcaris, quæſo M. Antoni, antequam alterum pedem explorandum porrigas, redi parumper ad te, ſede ſolitarius & tace & leua te ſupra te. *Thren. 3.*

Dic obſecro, M. Antoni, eſtnè ille ſpiritus humilitatis quem te modeſtia Chriſtiana docuit? Illáne humilitatis virtus, ſacris literis tantopere commendata, in qua cæterarum fundamentum poſitum eſt, totiúſque veræ pietatis ſuperſtructum ædificium? Illéne ſpiritus humilitatis, quem ab Apoſtolo didiciſti, qui totius gloriæ ſuæ ſummam in teſtimonio conſcien-

ſcientiæ ſuæ reponit? *gloria noſtra hæc eſt*, inquit,
2.Corint.1. *teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Qui licet vſque ad
tertium cœlum raptus, arcana viderit, *quæ non*
1.Corint.1. *licet homini loqui*, nihil tamen ſe ſcire iudicauit,
niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum, renuitque in omnibus *gloriari niſi in cruce Domini*
Galat.6. *Dei noſtri.* Tu verò M. Antoni, cui in animo eſt Eccleſiam ab erroribus vindicare, quos in eam paulatim irrepſiſſe aſſeueras, introductos abuſus radicitùs exſtirpare, genuinum ſcripturarum ſenſum purum, putúmque proponere, & noua dogmata reconditáque myſteria explicare; cur ſpiritum ſuperbiæ, arrogantiæ, ambitionis, impatientiæ ac indignationis induiſti? hæc enim vitia mirum in modum conſilio tuo
Matth.11. Luc.10. aduerſantur. *Confiteor tibi pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & reuelaſti ea paruulis.*

Nunquid à Chriſto repetitum illud toties accepiſti, *qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humi-*
Matth.23. *liat, exaltabitur.* En primus quem expono, M. Antoni depreſſionis tuæ gradus, qui cum eſſes ad ſummas euectus in Eccleſia dignitates, ex magno tamē viro in turpiſſimam belluam dege-
Pſalm: 48. neraſti, *homo, cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis:* Non quidem in bouem (ô vtinam tamen inſtar regis Nabuchodonoſoris per integrū ſeptennium hoc modo pœnitentiam agentis) ſed vel in vulpem veterem & annoſam, quæ vineas
Canti.4. Eccleſiæ demolitur; vel in dirum leonem in-
1.Pet.5. ſtar diaboli qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*; vel denique in ridiculum & infamem turpi quadam transformatione lupum

oui-

ouinâ pelle coopertum.

Caue M. Antoni ne alios longe grauiores caſus ac ruinas experiaris, quæ te manent, ne tu cum Lucifero nimis alta petente, de ſolio illo, quod ambitioſo faſtu appetis, præceps ac repentè deturberis, &, quod caput eſt, in imas Auerni ſpeluncas infeliciſſimè detrudaris. *Eſai.* 14.

Horat.

Sæpius ventis agitatus ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulgura montes.

O Deus tremendæ Maieſtatis, *à iudiciis tuis* timui: ad te ideo ſe mea conuertit oratio. *Pſalm.* 118.

Prætende Domine miſericordiam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde; non veniat mihi pes ſuperbiæ. *Pſal.* 35.

CAPVT IIII.

De Pede Anteriori ſiniſtro lupi, qui eſt, defectio & Apoſtaſia multiplex Marci Antonij.

CEdo alterum tuum anteriorem pedem, M. Antoni, nam & lupinum illum eſſe mihi iam præſagit animus. Defectionis, vt video, ac apoſtaſiæ tuæ pes eſt; nam & cum ambitione ac ſuperbia ferè pari paſſu ambulat.

Paucos enim admodum hæreſiarchas inuenies, qui & arrogantes non ſint ac ſimul apoſtatæ. Apoſtatas appello non ſolum qui defecerunt à fide Catholicâ, (quem enim non eſſe talem reperies?) ſed qui ab obſeruantiâ regu-

la-

lari, vel ordine. Si enim ſingulos enumeres, vel hábitum monaſticum abiecerunt, vel ſacerdotali dignitati renunciarunt, repete omniũ temporum memoriam, & qui prioribus ſeculis & qui poſteriori æuo graſſati ſunt, ad vnum omnes, ſi paucos exceperis, apoſtatæ tales exſtitêre. Faſtidioſum foret tam longã ſeriẽ texere, quæ magna ex parte vnicuiq; in promptu eſt.

At vero M. Antoni, an tu quoque ſimili pede incedas, patere vt paulisper explorem, & agnoſcam ex eo te lupum aliâ pelle tectum extrinſecus, quàm quæ tibi propria eſt.

§. I. *Defectio à Societate Ieſu.*

SVbit mihi iam in mentem, M. Antoni, necdum excidit memoria, quod graue, moleſtumque fuiſſe aſſeris patribus Societatis, quorum conſuetudine atque contuberinio multos annos religioſus vſus es, tantum virum, qualem te ipſe oſtentas, quippe qui illis ad omnia vſui eſſes, extra ſua caſtra egredi.

Siſto te hic, M. Antoni, tanquam militem fugitiuum, petoque abs te, cur prima tam citò abieciſti arma? cur militiam detrectaſti? cur primam hanc ſtationem tuam perfidè deſeruiſti? Fare, age, dic ſodes: quid tantus pallor vultum occupat? Iuſtas ac legitimas deſertæ huius militiæ cauſas expone, ac impetratam ab Imperatore tuo, cui te conſcribendum dederas, non inuitus, licentiam exhibe. Quid muſſitas? reſponde, animi fracti & abiecti nimis es, ſi ex ignauia deſertor es ſtationis tuæ, criminiſq;

huius perpetrati meritas pœnas te iam pridem luere oportuit.

Nempe iam tum prodidiſti ſatis ex vngue, quàm fortis ac ſtrenuus futurus eras miles, qui ad altiores Eccleſiaſticæ militiæ gradus etiam ad Archiepiſcopalem dignitatem promotus, tandem ignominiosè deficeres, ac impudenter turpitérque fugæ terga verteres.

Scilicet ex illo defectionis tuæ à Societate Ieſu tyrocinio præſignificaſti ſatis ingenij tui ac indolis inconſtantiam, animi volubilitatem, cordis ignauiam; augurarique ferè iam tum licebat ſolemnem hanc alteram apoſtaſiam tuã, quâ tam fœdè turpitérque fidei orthodoxæ, ordini Eccleſiaſtico, quo inſignitus es, nuntium remiſiſti; vt ſcilicet, quod ab omni æuo inauditum, triplex, imò ferè apoſtaſis quadruplex, à fide, à religione, ab ordine, ab Epiſcopali quoque charactere tibi miſerando apoſtatæ, ſempiternam infamiæ notam inureret.

Scilicet ex illa nauigatione tuâ, quâ vixdum portu ſolueres & littus adhuc legens, periclitari tamen tam citò nauis tua cœpit, nullis adhuc ferè procellis agitata, quis non ominatus fuiſſet, dum in alto mari vehereris, te in Breuia & Syrtes abripiendum, in ſcopulos allidendum, ac miſerum tandem paſſurum naufragium?

Verum M. Antoni, dic amabò cur à tam ſancta Societatis Ieſu religione pedem retuliſti? quid ab eius inſtituto animum tuum abalienauit? Si te tantum indagandæ veritatis deſideriũ tenuit, ſi te tanta diſcendi libido inuaſit, cur ibi potius non hæſiſti, vbi ſcientiarum omniũ,

ac

ac præſertim Theologiæ poteras limpidiſſimos latices deguſtare; & ſi qua tibi difficultas emergeret, ſi qua dubitatio animum tuum pulſaret, ſcrutari ſcripturas, veterũ Patrum monumenta liberè reuoluere ac domeſticis inter priuatos parietes diſputationibus mutuiſque concertationibus fraternâ cõtentione aſſiduè ac nullo negotio diſcutere, imò ad amuſſim examinare & ad calculum reuocare omnia? Tu tibi longè faciliùs feciſſes ſatis, & improbo ac iugi labore omnem hæſitationẽ longè faciliùs viciſſes ex Bibliorum & orthodoxorum Patrum frequenti lectione atque ex collatione cum ſociis, quorum tibi perpetuum commercium familiare in promptu ſemper erat.

In mentem tibi venire debuit hinc egreſſo & tot ſæcularibus negotiis implicato, tótque occupationibus diſtracto nunquam otium affuturũ, vt tam ardentem tuam veritatis agnoſcendæ ſitim poſſes reſtinguere.

Si tibi pietatis aliqua ſcintilla fuit, ſi te ſanctitatis aut innocentis vitæ cupido aliqua inceſſit, ſi diſciplinæ regularis amore ducebaris, ſi officioſæ charitatis opera exercere meditabaris; dic obſecro, bone ſenex, poteráſne alibi meliùs aut efficaciùs animi tui vota explere? Ibi enim vt apprimè noſti, non fucatæ, ſed ſolidæ pietatis amor: non laruatæ, ſed veræ ſanctitatis candor: non langueſcentis, ſed accuratæ regularis diſciplinæ obſeruantia vigebant; ibi denique campus apertiſſimus tibi patebat effuſam in proximos charitatem tuam exhibendi.

Quis igitur tibi à conſiliis & auctor fuit reſpuen-

ſpuendæ poſt tot annos huius Societatis? cur cauſas huius deſertionis, ſi iuſtæ ſunt, retices? cur diſſimulas, M. Antoni? Caue ne deliberatum hoc ac præmeditatò linguæ tuæ impoſitum ſilentium ſit veluti quoddam apertum & euidẽs ſuſpectæ cuiuſdam apoſtaſiæ præiudicium.

At quia ea votorum, quæ prima in Societate Ieſu emittuntur, natura eſt, inquies, vt penes ipſam Societatem poteſtas ſit, vouentes omni eorum obligatione ſoluere; certè potui ex eiuſmodi religione ſine vllâ infamis apoſtaſiæ notâ egredi, vt à pluribus fieri hodiéque videmus. Bene eſt, M. Antoni. Sed neceſſaria eſt ad eam dimiſſionem cauſa omnino legitima: eam vrgeo vt exponas, quam tu M. Antoni, vti vetus & annoſa iam vulpes es, doli plena fraudiſque ac omnis verſutiæ capax ſubtili tuo ingenio ac verſipelli cogitaſti de induſtria ſubticere.

Arrige aures Pamphile, quid auersâ facie terga vertis? Reſponde. Vt enim ſecurus potueris hinc egredi, & concedenti & impetranti licentiam, iuſta debuit cauſa ſubfuiſſe. Nam ſi quis adeo inſolens, eſt factioſus ac ſceleratus vt totam Societatem perturbet, regularem obſeruantiam peſſundet, ac præ contumacia diſciplinam reſpuat, an non iuſta occaſio dabitur hunc profligatæ vitæ nebulonem meritò abigendi? Quæro an religioſi ſic dimiſſi conſcientiam omnino pacabit hæc iuſtè conceſſa licentia M. Antoni? *Terent.*

At inquies, mihi magnam facis iniuriã, qui me cum eiuſmodi farinæ hominibus compares, qui me nondum niſi ex papyro noſti. Non

facio

facio M. Antoni, ſed patere quæſo vt ex ſcriptis quaſi ex vngue inquiram, quis qualíſve ſis.

Nam *ex abundantia cordis os loquitur* & verba externa ex Ariſtotele ſunt τὰ σύμβολα τῶν παθημάτων τῆς ψυχῆς, & veluti quidam internarum mentis conceptionum interpretes & quaſi cōſcij proditores.

Lib. de interpr.

Cauſa ergo tibi iuſta diſcedendi fortaſſe fuit religio ipſa, in quâ labores ſupra modum nimis multi humeris tuis impoſiti, victus ratio parcior, diſciplina accuratior, tibi verò corpus tũ fortaſſe tenue ac exile, laboribus impar, caro elumbis, vertiginoſum caput, oculi debiles, ſtomachus nauſeabundus. Quid plura? Tu totus fortaſſe infirmus ac languidus, pelle vix oſſibus hærente, atque adeo religionis oneribus ſuſtinendis minimè par, vt Societas te velut inutile membrum reſecuerit. Non ita eſt, M. Antoni. Nam in ipſa Societate fracti laboribus inſigni charitate fouētur, & à laborioſis functionibus excuſantur; tantum abeſt vt ex ea eiiciãtur, niſi morbo corporis ſubſint morbi graues & incurabiles animi ac vitiorum.

Agedum, Marce Antoni, dic obſecro quis tibi hinc abeundi auſam præbuit? An fortaſſe ipſos Societatis patres flagitioſos aut vitiis deditos agnouiſti? an eorum viuendi normam deprauatam? an diſſolutos mores? an domeſticos exceſſus? tanta tua ſuper eo, M. Antoni, taciturnitas Societatem hanc ab omni nedum labe criminis, verum etiam ab omni vel minimæ reprehenſionis ſuſpicione liberat. Si quid enim aduertiſſes vnquam in eâ religione, quam ſcis

Ro-

Romano Pontifici,ſediq́ue Apoſtolicæ addictiſſimam, adeoq́ue tibi ac iis inuiſam & exoſam, ad quos properas, ab eorum partibus in poſterum ſtaturus, haud dubiè non tibi excidiſſet vnquam, ea latiſſimè commemorare ac fuſiſſimè dicendo proſequi. Noueras enim nihil tuæ profectioni magis opportunum, nihilq́ue hæreſiarchis,ad quorum caſtra tranſis, magis gratum futurum, quàm ſocietatem hanc tam ſibi infenſam,ac infeſtam,quam odio pluſquã Vatiniano proſequuntur,cũ qua capitales perpetuò exercent inimicitias, & immortale bellum gerant, fœdis aliquot vitiorum maculis aſpergere, conuitiis, & atrocibus iniuriis afficere,vel turpiſſimis vitæ opprobriis conſpurcare. Nihil eſt igitur,M.Antoni,reliquũ,quod de deſerta tua huius primæ militiæ ſtatione teipſum excuſes, niſi quòd olim veteri lege cauebatur,milites leprâ inquinatos extra caſtra egredi, ne contagioſâ iſtius morbi lue ſocij ex improuiſo inficerentur. *Iuuenal.*

——Grex totus in agro
Vnius cadit à ſcabie, & porrigine porci.

Verùm, Marce Antoni, ex te quidem intellexi res ibi à te præclarè geſtas, tibiq́ue fides eſſet adhibenda, ſi tu teſtis omni exceptione maior, & in tua cauſa idoneus cenſèri debes, nefarias autem tuas actiones, moreſq́ue deprauatos,quibus ibi fortaſſe vixiſti,haud equidem ſingula poſſum referre, qui non niſi à paucis mihi notus es, ac vtinã non notus vmquam:ſi tamen coniecturis ad inueſtigationem veritatis aliquando licet agere, vero certè ſi-

mile eſt te non niſi ob vitiorum lepram extra ſocietatis caſtra eiectum eſſe.

Similis enim religio ſocietatis mihi videtur mari, de quo Euripides θάλασσα κλύει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

At demus te minimè malum fuiſſe, atque ob cauſam tolerabilem ſocietate liberatum, vbi tamen tam ſubitâ metamorphoſi te λυκάνθρωπον factum eſſe omnes audient, teque ſublatâ ouinâ pelle veterem & antiquum lupum agnoſcent, Deus immortalis! quot canes allatrabunt & te perſequentur? Crede mihi, Marce Antoni, non erit tibi opus examine conſcientiæ ad recogitandos omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ. Nam qui te à cunabulis, à teneris vnguiculis à pueritia, adoleſcentia, iuuentute ad hanc vſque decrepitam tuam ſenectutem, intus & in cute norunt, longam ſine dubio texent hiſtoriam vitę tuæ, ſeriē annorum, menſiumque ac dierum fideliſſimè deſcribent, te tuis viuis depingent coloribus, & non qualis appares & haberi vis, ſed qualis es, orbi te vniuerſo ridiculum exponent, ego iam prima huius tabulæ, vt vides, duco lineamēta, mille poſt me Apelles huic operi de nouo manus adhibebunt, qui non corporis modò, ſed & animi tui rugas, næuos, gibbos, tubera, defectuſque omnes ad vnum expriment.

§. 2. *Apoſtaſia eius à fide & ordine.*

VErùm, Marce Antoni, euaſiſti iam quidem & erupiſti, vt apertior tibi foret excurrendi campus ac diuagandi: at nondum in regionem longinquam abiiſti vt omnia tua diſſipes viuendo luxurioſè, vt quaſi furiis agitatus cùm latronibus prædonibúſque graſſeris, & inediâ tandem preſſus ac fame tabeſcens, cum ſordidiſſimis porcis apriſq; ſylueſtribus vineã Domini totam vaſtantibus quaſi factus ex cicure totus ferus, ſiliquis inanibus glandium miſerrimè ventrem tuum exſaties. Itaque iam audite Marci Antonij deteſtandam vltimam ac exſecrandam apoſtaſiam, quâ ille paternâ deſertâ domo in regionem longinquã, ad extremos ſcilicet Garamantas ad alterũ nouum mundum, ac diuiſos orbe Britannos, infelix hæreſiarcha migrat, vt cum cęteris prolibus impiis in afflictum parentem ſummum Pontificem matrémque Eccleſiam Romanam degener ac ſpurius deſæuiat, eoſq; totos ſquallidos mœrore ac luctu impleat.

Sic Lutherus olim & Caluinus hæreſiarcharum coriphæi, vt cæteros omittam, ô quantas flammas atque incendia in toto Chriſtianiſmo excitarunt! ô quanta bella ſeditioneſque in totam Europam inuexerunt! quàm atrociter pedibus ſuæ matris vterum conculcarunt. Audi quæſo Marce Antoni, audi, & obſtupefactus attonituſq; miraberis, mihi crede, prophetico Dauidis ſpiritu, Eccleſiam ipſam de præ-

uiſis longè antè futuris ærumnis, quas olim infauſtiſſimo Saxonis Lutheri æuo Chriſtiani, Saxoniam, Germaniamq́ue incolentes paterẽtur, has querulas ſuſpiranti pectore voces emittentem.

Pſ.19. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea,* nã Hebraicè habetur אויה לי כי גרתי משך Oiah-li Ki-garthi meſech, quaſi diceret; hei mihi, quia incolatus meus in Meſech. Cuius dictionis, Meſech, licet communis ac vulgaris expoſitio ſit, prolongatus eſt, quoniam ex radice משׁ maſach, quod eſt protrahere, deriuatur; tamen eo vocabulo propriam aliquam prouinciam denotari teſtis eſt locupletiſſimus

lib.1.cap.1. Ioſephus Bengorion Hebraicæ linguæ nõ imperitus, non quidem Hetruriam vt ei Rabbi Kimhi, & Aben eſra falsò aſſcripſerunt, ſed Saxoniam. Textus enim huius autoris, quem Venetiis in lucem editum doctiſſimus Genebrardus refert, ſic habet. Tabal qui habitat in Tuſcana terra ad flumen Phiſiæ, meſech autem qui ſubſunt, quos aliqui eſſe Saxones Germaniæ populos putant.

Lamentabilis eſt certè totius Germaniæ incolatus, & non tantum Saxoniæ, vnde Lutherus oriundus, qui tam monſtroſis opinionibus animos hominum infeſtauit, tantis latrociniis depopulatus eſt. Scilicet, idcirco conqueritur etiam ibi Eccleſia, quod cum habitatoribus Cedar, hoc eſt, Iſmaelitis, ſpuriis nempe filiis tam longo ac diuturno incolatu commoratur, qui inſtar poſterorum Arabum, quaſi ἀπάτορες & ſi-

& ſine parentibus, à quibus domi retineantur ac alantur vagi, erranteſque ſedibus incertis, nulloque tuto loco hærentes, perpetuò peregrinantur, graſſantur, debacchantur, & ſpoliis eorum, quos miſerrimè deprædãtur, ſua tabernacula Cedar iniquiſſimè locupletant.

Eiuſmodi ſunt hæreſiarchæ omnes, qui nũquam eodem in loco perſtant, incerta fide, religione dubia & ancipiti, varij, mutabiles, inſtar Cameleontis aut Protheorũ, omnes, quas volunt, formas & colores induunt.

Tu Marce Antoni, mihi ferè talis es, qui domicilio carens, patriâ extorris erras, &, vbi ſedem figas, ignarus & anxius vagaris.

Sed audi alterum mirabilem de te, ac de tuo Caluino, ni fallor, propheticum eiuſdem Dauidis pſalmum, in quo de vinea Domini multa præfatus, tandem ita concludit; *Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Pſ. 79.
Caluinus vtpote qui primo nominatur loco, anteſignanus tuus, ipſe eſt aper, qui non modò inſtar abominabilis porci omnem libidinem conſectatus eſt, & quaſi ſus in volutabro ſe omnis intemperantiæ immerſum conſpurcauit, ſed etiam inſtar apri ſylueſtris vineam Chriſti miſerabiliter exterminare cœpit.

Tu verò, Marce Antoni, tu ille ſingularis ferus es, ac horrenda bellua, qui eam iam ſatis pedibus porcique ore protritam & conculcatam depaſci ac penitus deuaſtare contendis: vt, poſtquam id feceris, ſi potes, noſtrum quemlibet illud Chriſti exclamare ingemiſcendo cõpellas, *Væ mihi, quia factus ſum ſicut, qui colligit racemos*

Mat. 7. *in autumno, non eſt botrus ad comedendum.*

Ac fortaſſe ne putes me verba illa prophetæ ad te, Caluinumque ſine vllo fundamẽto gratis referre, obſerua Marce Antoni eius Dauidici Pſalmi titulũ apud Hebræos eſſe, על ששנים ghal ſoannim, hoc eſt, pro Liliis, vt prophetice ſignificaretur iſtum teterrimum aprum ſylueſtrem, de quo ibi ſermo eſt, ex Francia oriundum, quæ ſcilicet lilia pro inſignibus geſtat. Caluinus autem Gallus fuit. Quod ex eo vel euidentiſſimè confirmari poteſt, ſi Caluino etiam nomen ipſum feri ſingularis affingas. Nihil enim vetat quominus vt Marcum Antonium de Dominis aprum etiam ſylueſtrem, ſic Caluinũ vice verſâ ſingularem quoque ferum appellare liceat. Nam pro eo quod Hebraicè eſt, וזיז שדי ירענה. Hieronymus vertit. Omnes beſtiæ agri depaſtæ ſunt eam; Septuaginta Interpretes verò, χαὶ μόνιὸς ἄγριος κατενεμήσατο ἀυτήν: vulgaris autem editio, *Et ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* At paraphraſis Chaldaica diſertis verbis habet, דתרנגול ברא ית פרנם מנה Quod latinè redditum ad propoſitum noſtrum notandum eſt, Et ſylueſtris Gallus depaſtus eſt ex eâ. Quo nihil poteſt vſquam gentium, ad præſignificandum Caluinum, qui Gallus erat, dici manifeſtius. Apud Græcos verò iuxta Septuaginta ipſorum Interpretum ſenſum, longè alia inſcriptio huius Pſal. eſt. Εις τὸ τέλος ὑπὲρ τῶν ἀλλοιοθησομένων, quod vulgaris editio Latinè reddit. *In finem pro his qui commutabuntur.* Hoc, Marce Antoni, quam apprime tibi conueniat, nemo tã hebes ac obtuſo ingenio, quin clare videat.

videat. Tu enim ſingularis ille ferus es, qui ex M. Antonio de Dominis, Archiepiſcopo nuper Spalatenſi, iam nunc demum, noua quadam & inauditâ metempſychôſi, poſt Lutherũ & Caluinum veteres λυκανθρώπους, in lupum rapaciſſimum, in finem eſſes commutandus, ſingularis, inquam, qui poſtremis his temporibus ex Archiepiſcopo fere vnus, excepto Truchſes Coloniæ Archiepiſcopo, factus ſis hæreticus; ſingularis, qui ſolus ex Eccleſiaſtico Primate factus ſis Hæreſiarcha perditiſſimus: ſingularis denique, qui eâ ætate, quâ plerique hæretici, qui lapſi ſunt & ab Eccleſia receſſere, prudentiores facti tandem reſipiſcunt, tu ferè ſolus ab ea deficiendo migrare, ac inſtar fatui ſenis delirare videaris.

At verò etiam ſingularis ferus es, qui, quo tẽpore annoſiores feræ præ ſenio cicures quodammodo fieri, priſtinaque ſuâ feritate deſtitutæ quaſi manſueſcere ſolent, eo tu ſub finem vitæ tuæ dentes ac vngues paras, vires exeris ac maiori ferocitati frœna laxas: ferus inquam qui inſtar feræ peſſimæ tuo ex antro, quo per totum decennium te abdidiſti, iam fame ſitíque oppreſſus furiosè te proripis, vt humano ſanguine ventrem expleas: ferus denique qui ex paſtore ouiúmque cuſtode totus in immanem belluam transformatus es.

O admiranda Dauidis vaticinia, vt ſicut Lutherus iam olim Saxoniæ Germaniæque totius incolas miſerrimè afflixit, vt Caluinus Galliæ vineam inſtar apri ſylueſtris exterminauit, tu tandem in finem inſtar ſingularis feri eam de-

paſci ac penitus extirpare moliaris. Verùm nihil efficies cruenta beſtia, incaſsùm tuos in Eccleſiam Apoſtolicam ac Romanum Pontificem dentes exacuis, nihil monſtroſa hæreſeon portenta, nihil rediuiua & renaſcentia mille hydrarum capita poterunt aduerſus eam.

Ciuitas eſt hæc quæ inexpugnabilis omnium hoſtium ſcorpiones, arieteſque ac machinas Matth. 16. bellicas retundit, *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

CAPVT V.

De pede poſteriori dextro lupi, qui eſt, Spiritus mendacij & falſorum dogmatum M. Antonij.

ANteriores pedes tuos, M. Antoni ſatis iam habeo perſpectos: progredere ac vtriuſq; poſterioris fac mihi copiam. Quid videris retrocedere inſtar Cãcri? quid reuocas gradum? quis te nouus timor percellit? Scilicet credo vereris, ne ex illis ambobus agnitis te non tantum Lychantropum vel ſemilupum, ſed totum lupum exclamem.

At porrige ſimul, ambos M. Antoni: quia enim poſteriores ſunt, in iis fortaſſe quidquid in te maioris rapacitatis. Sed cedo dextrum pedem primum. O quantis quamque aculeatis non tantum lupi, ſed leonis vnguibus armatus eſt! Sunt illa falſa dogmata & mendacia quibus apoſtata factus populis infeſtare paras, ac tuo illo latenti veneno enecare. Hæc potiſſima nota

ta eſt, M. Antoni, Hæreſiarcharum omnium, quâ facilè à Catholicis profeſſoribus diſtinguũtur, nam illi quamuis ſuperbi, ficti, ſceleratique ſint, tamen hæc vitia pluribus etiam orthodoxis conueniunt, at verò errare in fide, mentiri, & in cathedra peſtilentiæ ſedere, hoc ipſum M. Antoni, tibi tuique ſimilibus Pſeudoprophetis omnino proprium eſt.

Itaque *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorũ, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Pſ. 1.

De illis vaticinatus eſt Eſaias, *Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuã vt te ad pœnitentiam prouocarent, viderunt enim tibi aſſumptiones falſas & eiectiones*, De illis etiam vaticinatus eſt: dum dicit, *Ero in ore omnium tuorum Prophetarum ſpiritus mendax*, hac contagioſa lue doctrinę fallacis ac errorum quâ ipſi ſunt infecti, cæteros omnes ita inficiunt, vt Eccleſię toti magnam ſtragem calamitatemque inferant. Tu ſimili pede progrederis M. Antoni, vbi iam ouile prioribus tuis pedibus ingreſſus es, vt ex virulento tuo pectore in ouiculas Chriſti præſentiſſimum venenum euomas. Breuis quidem eſt libellus ille, quo nuper profectionis tuę cauſas & conſilium exponis, ſed in eo multa congeris, quæ iam doctrinam tuam peſtilentem ſapiunt, & quâ noſtram, ſi fieri poſſet, tu velut nouus aliquis Arpinas ac tyro, licèt ſenex ſis, ac ſexagenarius, innouare ac euertere conaris; Sed fruſtra.

Tren. 2.

3. Reg. 22.

§.1. *Miſsio legitima nulla M. Antonij.*

ITaque te, M. Antoni, ſi Pſeudoprophetam appello, ne mireris, nam ex Apoſtolo, *quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Quis ergo te miſit, M. Antoni? fare. Scilicet ego *non mittebam Prophetas & ipſi currebant, ego non loquebar illis & ipſi prophetabant.* Quomodo tu nouus Apoſtolus aut nouus de cælo delapſus angelus venis, ſi non modo miſſus non es, ſed etiam ſtationem perfidè deſeruiſti?

Rom. 10.

Hierem. 23

Tu inſtar falſi ſimulatique legati, vtpote qui ſine diplomate in regna te intrudis, vt inſidiatorem ac reipublicæ perturbatorem, ad eos, à quibus defeciſti, meritas daturum pœnas, iura Cæſarea legeſque amandandum iubent. quod ſi fortaſſe immediatè à Deo miſſus es, quaſi alter nouus Meſſias, qui noua dogmata velis profiteri; Magiſter, volumus à te ſignum videre, Oſtende te nouum θαυματουργον, qui miraculis nouam tuam doctrinam ſtabilias & confirmes, vt tibi quaſi primis Apoſtolis fidem adhibeamus, horum enim miracula tanta fuerunt, vt meritò clamet Auguſtinus, ſe vinculis miraculorum in Eccleſia retineri; & Richardus Victorinus auſus eſt dicere, Domine ſi error eſt quod credimus, à te decepti ſumus, nam iſta in nobis tantis prodigiis & ſignis confirmata ſunt & talibus, quæ non niſi à te fieri poſſunt. Expectamus ergo indies magna miracula, M. Antoni, quæ patraturus es, & niſi feceris breui, ecce illa Tertulliani aduerſum te verba vſurpabo, quibus

l. fin. ff. de legationis.

lib. de vtilitat. credē. c. 17.

bus in ſui temporis olim ſectarios acriter inuehebatur, *Qui eſtis vos? quando & vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure ſyluam meam cædis? quâ licentia Valentine fontes meos tranſuertis? quâ poteſtate Appelles limites meos commoues? mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, habeo firmas origines ab ipſis autoribus quorum fuit res, ego ſum hæres Apoſtolorum.* Cur itaque M. Antoni etiam tu nos ab antiqua noſtra & pacificâ poſſeſſione deturbare cogitas, & malâ tuâ fide noſtram nobis eripere? poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit, & quod ab initio non valuit, ſucceſſu temporis non poteſt conualeſcere.

lib. de præſcri. hæreti.

c. poſſeſſor. de reg. iur. in 6.

l. quod ab init. ff. eod. tit.

§. 2. *Opus decem librorum nouum M. Antonij, de Republica Eccleſiaſtica.*

VErùm in arenam deſcendamus, M. Antoni, & ſtricto gladio iam inuicem cominùs dimicemus, bellum tibi terrâ marique indico glorioſum triumphum diuinis auſpiciis de te reportaturus.

Tu ante omnia, M. Antoni, exantlatos per decennium labores in totidem tuis libris componendis, magnâ cum oſtentatione iactabundus euentilas, quibus mirabilem aliquam doctrinam ac portentoſam de Republica Eccleſiaſtica polliceris. Nouum fortaſſe ac inauditum hactenus myſterium eſt, ſuperioribus generationibus ignotum, quod nemo principum huius ſeculi agnouit. Sed tu forſan ille agnus es Ioanni Euangeliſtæ olim viſus, cui ſoli datum eſt *aperire librum & ſoluere ſeptem ſignacula eius*, cui datum

Apoc. 5.

datum eſt, *noſſe tempora & momenta quæ pater poſuit*
Act. 1. *in ſua poteſtate.* O diuinum hominem qui veritatem ex putei Democritici fundo huc vſque immerſam primus erues!

Sed quid dices noui, M. Antoni, quos libros, quos autores nondum ab aliis peruolutos euolniſti? quæ noua inſtrumenta ad cauſæ tuæ defenſionem edes, de quâ lis à tot ſæculis iam mota & intentata eſt?

Methodum fortaſſe nouam ac ordinem nouum adinueniſſe potuiſti (ſi in Babylonico cõfuſæ ac tumultuariæ molis opere aliquis ordo reperiri poteſt) at eadem erunt omnino autorum verba, ſententiæ textus, niſi tu illa pro tuorum more & arbitrio inſtar loriſtapedarij laxes aut reſtringes, inſtar ceræ indures, aut emollias, inſtar monetæ trunces vel adulteres, inſtar arcus vibres & contorqueas.

Nimis iam diu ante te anteſignani tui hæreſiarchæ in omnes ſe verſarunt partes, vt Eccleſiam Romanam Religionemque noſtram opprimerent: ſacras omnes literas attentiſſimè perſcrutati ſunt, veteres Patres volutarunt, Annales, Hiſtorias omnes percurrerunt, manu ſcriptos Codices iam pridem carie obductos ex antiquis Bibliothecis eruerunt, nihilque reliquerunt intactum, quod ad ſuam cauſam confirmandam & ad noſtram infirmandam debilitandamque facere videretur. Itaque operi tuo vniuerſo hanc inſcriptionem præfigis de Republica Eccleſiaſtica, deinde ſingillatim cuiuſque libri titulos ordine denario appẽdis & publicas, quos hic longâ ſerie totos enumerare ne-
ceſſe

ceſſe non eſt. Agis in illis tamen, vt inquis, de regimine ac ſtatu Eccleſiæ, de ſummo Pontifice, de eccleſiaſtica Hierarchia, de Epiſcoporũ ac Metropolitanorum iure, de ſacerdotibus, de clericorum teſtamentis, de monachis, de cenſuris, &c.

At verò quia in eiuſmodi tota librorum tuorum enumeratione dogmata tua non proponis, ſed materiam tantum indicas, non habeo quod errores, quibus ſine dubio totum opus tuum ſcatebit, in præſentiarum refutem, donec, quod breui promittis, & Deus ad ſalutem tuã auertat, illud in lucem edideris.

Quibus nouam tuam doctrinam melioribus titulis ac præſidiis munies? quibus fortioribus columnis fulcies, neſcio; at iã ſcio tamen quod non niſi, vt aiunt, actum ages, dicta iam antea iterum propones, detorquebis, retorquebis, retractabis, palinodiam canes, & offam omni genere ciborum piſcium, carniumque fœtentium ter quateruè iam recoctorum refertam tu ad menſam famelicis tuis conuiuis ſtratam appones, quibus vel ſolus ipſe vapor vel culinæ tuæ nidor nauſeam mouere debeat. Crambe bis cocta, vt eſt in prouerbio, mors eſt, ἰχθὺς ἀποκείμενος faſtidium parit, & piſcis nequam, niſi recens, inquit Plautus. *Plutarch. in ſympoſia.*

Vis vt vno verbo dicam M. Antoni? *Horat.*

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus

§. 3.

§. 3. *Contra Dogma I. M. Antonij, de ſtatu Eccleſiæ.*

VNum eſt præcipuum, quod in ipſo tuæ Architecturæ veſtibulo clarè iam videndum exponis, quod diſſimulare non potuiſti, quo aduerſus Eccleſiæ Romanæ Primatum ac ſummũ Pontificem animum tuum infenſum exulceratumque prodis. Canem te futurum minitaris (an Cerberum illum tricipitem monſtroſumq́; intelligas, haud ſcio) qui aduerſus eam continuò latraturus ſis. Sed iſta ſunt M. Antoni, puerorum terriculamenta, quibus Eccleſia illa nõ mouetur, inanes ſunt in lunam iſti latratus.

Ideo totum opus tuum inſcribis de Republica Chriſtiana vt oſtendas Eccleſiæ ſtatum non eſſe Monarchicum, quod etiam omnino negas præterquam ſub Chriſto, at in terris eum eſſe Ariſtocraticum Democratico quodammodo admixtum aſſeris, ſed non probas, quippe qui totam hanc diſputationem in primum tuum librum refers.

Pontificatus tamen Romani potentiam, & gloriæ ſplendorem, quibus nunc ſupereminet cæteris, non diuino iure, ſed præſidiis tantum humanis parta eſſe obiter & quaſi aliud agens affirmas.

Nolo hic multis tecum agere vt dogmata tua falſa, iuríque diuino contraria eſſe conuincam. Innumerabiles enim Catholici iam ea millies euidentiſſimè confutarunt: & dabitur etiam fortaſſe otium aliquando vt ex profeſſo li-

librorum tuorum propoſitiones, ſi eos edere infauſto ac infœlici exitu tibi contingat, licebit examinare. Itaque diuino etiam iure ſtatum eccleſiæ non ſemiariſtocraticum aut ſemidemocraticum, vt innuis, at monarchicum eſſe non modo ſub Chriſto, ſed etiam in terris ſub eius vicario Petro ac ſucceſſoribus eius Pontificibus Romanis iam toties ab aliis fuſiſſimè probatum relinquo vel probandum copioſiùs accuratiuſq; in aliud tempus opportunius cenſeo differendum.

Hic tamen prætereunda non iudico verba Chriſti, quæ id clariſſimè demonſtrant.

Locus eſt inſignis ac luculentus apud Matth. *Matth. 16.* vbi Chriſtus Petrum poſt glorioſam quandam fidei profeſſionem ſic affatur, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quod nulli vnquam aliorum Apoſtolorum ne quidem Ioanni licèt diſcipulo quem diligebat Ieſus, nec Iacobo licet cognatione coniuncto, vſquam gentium Chriſtus arrogauit. Scio varia ſubterfugia, & diuerticula quæ ab hæreticis ſollicitè ac anxiè quæruntur, vt hoc argumentum eludant quæ ſingula recenſere ac oſtendere falſa eſſe, magis longum eſſet, quàm operoſum; ſed locus ille tam apertus prima fronte eſt vt nulla tergiuerſatione celari poſſit. Nam quamuis vniuerſis aliquando Apoſtolis Chriſtus dixerit: *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis & quorum retinueritis, retenta ſunt*, *Ioh. 20.* ſoli tamen Petro dictum eſt: *Tibi dabo claues regni cœlorũ, quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis,* *Matt. 16.*

lis, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.

Atque hæc Petri ſupra cæteros Apoſtolos dignitas ex multis, quæ à Patribus olim ac Theologis obſeruata ſunt, facile conuincitur, ſed ex
Act.15. eo vel maximè quod in ſynodo Hieroſolymis coactâ, in qua tamen Iacobus Antiſtes erat, Petrus ipſe quaſi præſes conſtitutus ante reliquos Apoſtolos præſentes, ſermonem orditur.

Ex quibus omnibus iure diuino concludendum videtur Eccleſiam non inſtar reipubl. Ariſtocraticæ vel Democraticæ, ſed inſtar Monarchicæ ac regiæ, vtpote omniũ nobiliſſimæ, quæ regimen à Chriſto poſitum omnino deceat, vt ab vno autoritas omnis pendeat & deriuetur in cæteros, S. Petro eiuſque ſucceſſoribus Pontificibus Romanis fuiſſe commiſſam, ad cuius confirmationem inſtar omnium verba illa Chriſti ad Petrum ſufficerent, *paſce oues meas*, vbi prima vox, *paſce*, non modo ſignificat educare, aut alere, vt communiter ſolet vſurpari, ſed etiam regere, aut inſtar Regis gubernare, cum in græco
Ioh.21. exemplari ac prototypo habeatur; Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Nam apud prophanos autores, verbi ποιμαίνειν, non tantum pro paſcendi, ſed etiã ad modum ac formam regum regendi, ſignificatione, communis vſus eſt. Sic obſeruauit Ari-
9.Ethic. ſtoteles. Agamemnonem regem ab Homero vocari τὸν ποιμένα λάον, quod non modò paſtorem, ſed regem etiã populi clarè denotat. Quod in ſacris quoque manifeſtum euadit ex Pſalmo
Pſal.79. Dauidico, *Qui Regis Iſrael, intende*, vbi ſeptuaginta Interpretes habēt ὁ ποιμαίνων τῶν Ισραὴλ πρόσχες.

Quo.

Quo loco verbum ποιμαίνειν latinâ verſione, pro regere vſurpatur: ex qua deduci videtur per eiuſmodi verba Petrum non tantùm paſtorem ouium, ſed regem etiam populi adeoque omnes eius ſucceſſores, à Chriſto fuiſſe conſtitutos.

Quis enim ſibi perſuadere poſſit M. Antoni, eam poteſtatem ſic Apoſtolo Petro conceſſam, vt illico re ſine mora poſt eius obitum penitus extingueretur nec tranſiret ad poſteros? Nam quid Eccleſia mali fecit, aut quod ſcelus commiſit vt moriente primo poſt Chriſtum Pontifice tam citò eius auctoritas cum ipſo iacens ac ſepulta interiret? Cum itaque Petrus poſtremam ſuã per annos tam multos Romæ ſedem fixerit, ibique mortẽ, martyriúmque ſit paſſus, neceſſe eſt Romanos Pontifices, eius eſſe ſucceſſores, ac proinde tales, vt ab ijs tanquam paſtoribus regibúſque omnis Eccleſiaſtica poteſtas legitimè deriuetur ac emanet.

Ad quorum omniũ confirmationem operæpretiũm non eſt infinita propemodum afferre argumenta, quæ in eam rem ex hiſtoriis atque probatiſſimis auctoribus fusè latéque produci ſolẽt: nobis iam abundè ſufficiet clara illa priſcáque teſtimonia in medium afferre; In primis Hieronymi, qui ad Damaſum Pontificem Romanum ſcribens inquit. *Ego cathedræ Petri communione conſocior, quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt* Cui & adiungo Cyprianum ſic habentem, *Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia eſſe monſtretur.* Præterea & Irenæum qui de Romana Eccleſia loquens, eam cæteris ſu-

Epiſt. ad Damaſ. Pontif.

lib. 1. epiſt.

lib. 3. aduerſus hæret.

D per-

pereminere affirmat, διὰ τῆς δυνατωτέρας ἡγεμόνιας, hoc eſt, propter potentiorem auctoritatem ac iuriſdictionem, non autem propter dignitatem, vt Molinæi patronus fallaciter explicat. Cum & Dionyſius Areopagita Moſem ἡγεμόνα, hoc eſt ducem ac principem, & ſcriptura præſides ἡγεμόνας vocet.

Verum ad inſtitutum hoc meum ſatis eſt breuiter indicaſſe, Marce Antoni, perperam à te opus tuũ de republica Eccleſiaſtica inſcribi, quaſi Eccleſia regimine monarchico non adminiſtretur, ſed tantùm Ariſtocratico Democratiæ admixto.

Sed video Marce Antoni, non alio ſcopo te id facere, quàm vt inſtar vulpiũ Sanſonis, cum cæteris hæreſiarchis, diſiunctis licet capitibus, in eo conſpires vt ad caudam ſimul alligatas in Capitolium arceſque Romanæ Eccleſiæ, faces accenſas inferas.

Nimirũ ſatis cum illis tibi venit in mentem nunquam vobis futuram, quaquà libido tulerit, excurrendi facultatem, & pro arbitrio quæuis dogmata proponendi, niſi remoto longè hoc fræno, quod os non modò comprimit indomitorum equorum, ſed etiam præcipitem curſum promptiſſimè cohibet. Nam quia ſummum Pontificem controuerſiarum omnium Eccleſiæ iudicẽ agnoſcimus, vóſque à nemine iudicari vultis, mirum non eſt, ſi eum reſpuatis; ne veſtrá cauſſâ, quæ iniquiſſima eſt, iuſto eius iudicio ac ſententiâ cadatis?

Sed quæſo Marce Antoni, dic ſi tua doctrina non vndequaque cæteris hæreſiarcharum dogmatibus

gmatibus conſentanea eſt,& idcirco inter vos vehemētes ac ſeditioſæ cōtentiones oriantur, vt iam audio apud Batauos ſuper myſterio prædeſtinationis grauiſſimas eſſe motas,quis lites veſtras in materia fidei dirimet? quis controuerſias illas terminabit? ergóne opus erit ad ſæculares magiſtratus vel ad Ordines recurri? admittes hoc fortaſſe in Ariſtocratica tua & Democratica Eccleſiæ republ. Verùm Marce Antoni, nō times iuſtas Regum querimonias, qui nullū aliud præter ſe in Eccleſia ſua caput agnoſci volunt?quomodo Marce Antoni,hoc monarchicū ac regium Eccleſiæ regimen ſæculare cum tua republica cohærebit?Dic amabò, Marce Antoni, quomodo hunc nodum ſolues,vt communi vinculo reſpub.tua Eccleſiaſtica cum regno & monarchia copuletur?

§.4. *Contra dogma II. De Summo Pontifice.*

INſurgis præterea in ſummū Pontificem atque conquereris quod Eccleſia non quidem vniuerſa,vt olim, ſed iam ita reſtricta, vt paucorū numero comprehendatur,nouos indies fidei articulos cudat. Quamuis non ita clarè querimoniam tuam proponas,intelligo tamen ſatis,Marce Antoni,quid velis,nempe quod à concilijs œcumenicis non amplius, ſed à ſolo ſummo Pontifice ferè tantū ex Cardinalium conſilio res fidei definiātur.Non ita eſt M.Antoni,vixque vllos audiſti à multis temporibus nouos alios proponi, quam eos, quos Eccleſia

eos aquas fluminis fortes & multas, regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius, & aſcendet ſuper omnes riuos eius, & fluet ſuper omnes ripas eius, & ibit per ripam inundans, & tranſiēs vſque ad collum veniet. Vbi videtur innuere tantam in Eccleſia inundationem hæreſeon futuram, vt omnes ferè vſque ad collum, excepto ſcilicet ſolo capite ipſius, hoc eſt ſummo Pontifice, ſubmergendi ſint. Atque vt intelligatur tempore legis nouæ futura, Eſaias addit. *Et erit extenſio alarum eius implēs latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel:* quo nomine Chriſtus Meſſias ipſius legis auctor ſignificatur.

Priuilegium itaque quoddam eſt ſingulare cathedræ Petri ac Pontificum Romanorum ſucceſſorum ipſius, vt qui ex eiuſmodi throno loquuntur, errare in fide nullo pacto poſſint. Quod ne quis à me gratis dictum eſſe putet, vix vllam ſedem inuenias eccleſiarum particularium, in qua Epiſcopi ac Antiſtites non errauerint. Errauit Antiochena, Hieroſolymitana, Conſtantinopolitana & Alexandrina, cæteræque ferè totius Orientis: ſola Romana ſedes eſt & cathedra, quæ victrices palmas de deuicta perfidia refert, quę nullis vnquam falſi dogmatis aut errorum tenebris fuerit obſcurata. Teſtes mihi locupletiſſimi ſunt Græciæ orthodoxi patres, quos tanto minùs in hac materia ſuſpectos eſſe iudico, quanto maior ſemper inter Græcas Eccleſias & Romanam æmula quædam contentio fuit.

Teſtis mihi Baſilius, qui ad Romanum Pontificem ſcribens, *Tuæ pietati datum eſt*, inquit, *quod adulterinum eſt, à legitimo & puro diſcernere, ac fidem* *Epiſt. ad ſummum Pont. Rom.*

patrum ſine vlla ſubtractione prædicare.

Teſtis mihi Theodoretus ad Renatū de collegio fratrū, qui de Romano throno loquens, ſic diſertis verbis habet. Ἔχει γὰρ πανάγιος θρόνος ἐκεῖνος τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησίων τὴν ἡγεμονίαν, διὰ πολλὰ, καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅτι ἁιρετικῆς μεμένηκε δυσωδίας ἀμύητος, καὶ οὐδεὶς τ' ἀνάυτια φρονῶν εἰς ἐκεῖνον ἐκάθησεν, ἀλλὰ τὴν ἀποσαλικὴν χάριν ἄκρατον διεφύλαξε. Locus hic, quia mirum in modum ad rem noſtram facit, de verbo ad verbum ſic expono, attende Marce Antoni. Habet enim ſanctiſſimus thronus ille circa œconomiam Eccleſiarum auctoritatem, propter multa quidem; ſed ante alia omnia, quoniam hæreticæ manſit prauitatis expers, & nullus falſa docens ſuper ipſum ſedit, ſed apoſtolicam gratiam illibatam conſeruauit.

Epiſt. ad Renat.

Aperi oculos Marce Antoni, vidéſne quanta lux ex eiuſmodi throno tibi orta, quam tamen obtenebrare omnino contendis? Si adhuc in tanta luce cæcutis Marce Antoni, audi Dauidem de ſimili throno Eccleſiæ Chriſti ſpiritu prophetico talia præfantem. *Si autem*, inquit, *dereliquerint filij mei legem meam, & in præceptis meis non ambulauerint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meā non diſpergam ab eo* (ſcilicet Eccleſiæ throno) rationem autem Dauid ſubiungit. *neque nocebo in veritate mea, neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta, & teſtis in cœlo fidelis.*

Pſal. 88.

An

An non vides Marce Antoni, thronum hunc Eccleſiæ adeo illuſtrem, vt Iridi cœleſti, plenæ Lunæ, Soliq́ue comparetur, ne tu tibi perſuadeas doctrinam ab eo deriuatam aliquibus errorum tenebris poſſe obſcurari. Minime gentiũ. Deprauati enim mores aut diſſoluti lucem hanc doctrinæ non modo non extinguere, ſed ne quidem obtenebrare poſſunt. Pulchrè ſed acute ſimul eruditiſſimus Bãronius notauit, nulli alteri Apoſtolorum, præterquam Petro vſquam conceſſum, vt non corpore tantũ, ſed ſui corporis etiam vmbra miracula patraret & ſanaret infirmos. Quo ſignificari Chriſtus voluit, non tantum Petri poteſtatem atque auctoritatem magnam eſſe, ſed & vmbræ, quæ ipſum ſequitur, hoc eſt, ſucceſſorum; qui licet cum ipſo, Chriſtoq́ue comparati non magis, habitâ ratione luminis, quã vmbræ luceant, poſſintq́; vitiis ac malis viuendi moribus obumbrari, fidei tamen ac doctrinæ lumen, quo alios illuſtrent, & animorum caliginem diſſipent, in iis deficere poteſt nunquam.

Tom.1. Annal.

Act.5.

Nec minori obſeruatione dignum eſt, quod Neotericus quidam autor ad noſtrum inſtitutum ſubtiliter animaduertit, bis olim Petrum ſe in aquas miſiſſe, ſed cum hoc diſcrimine, vt cùm primò ad Chriſtum, qui erat in littore, nataturus totus veſtitus in mare ſe iaceret, aquas ipſe tutiſſimus euaſit: cùm verò ſecundò ad natandum ſe tunicâ exuiſſet vt ita nudo corpore non ita facilè mergeretur, tamen vndarũ fluctibus, niſi Chriſtus ipſe manus auxiliares præbuiſſet, ferè totus obrutus & abſorptus eſt. Quo

Iohan. vlt.

Matth.14.

nempe ſignificaretur Petrum eiuſque ſucceſſores nudos, hoc eſt, tanquam priuatos homines, fluctuantibus hæreſeon vorticibus ac errorum poſſe ſubmergi, tunicâ autem Chriſti, quæ Eccleſia eſt, veſtitos nequaquam obrui poſſe.

Itaque M. Antoni, omnino neceſſe eſt vt de noſtro Summo Pontifice hoc tibi perſuadeas, eum, cùm loquitur fertque ſententiam ex cathedra vt iudex ac Eccleſiæ præſes vt eam doceat quid credendum ſit, nullis fidei erroribus eſſe obnoxium, ne alioqui pro Petro à Chriſto fuſa oratio, inanis fuiſſe videatur: quod tamen dici nullo modo poteſt, ſi, vt ait Apoſtolus, *pro ſua reuerentia ipſe Chriſtus exauditus eſt.*

Et certè, vt verum fatear, à recta ratione prorſus alienum eſt, vt Eccleſiam ſuam, quam tot ærumnis ac hæreſibus affligendam toties Chriſtus prædixit, in hoc periculoſo mundi Oceano, abſque gubernaculo reliquerit, & abſq; peritiſſimo Typhi, qui clauum in manu tenens eam moderaretur, quique tot controuerſiarum in dies emergentium quaſi procellas & turbines ſuâ autoritate compeſceret & tanquam alter Neptunus ſui iudicij tridente ſedaret. Imò auſim aſſerere, ſi Chriſtus cœlos aſcendens, in terris Eccleſiam ſponſo viduatam, & quaſi corpus ἀκέφαλον ſine capite cætera membra directuro deſeruerit, non ſatis eum ipſi ſponſæ ſuæ prouidiſſe, vtpote quam hoc modo mille periculis, mille contentionibus ac diſſidiis perpetuò expoſitam reliquerit.

§. 5. *Contra Dogma* III.
De lectione librorum hæreticorum.

TRanſeo nunc ad aliud confictum à te mendacium, M. Antoni, quo artificioſè nos in ſuſpicionem vocas tacitæ de noſtra fide ac religione cuiuſdam veluti diffidentiæ, quaſi de eius certitudine ac veritate dubitemus.

Conquereris ac ſimul exprobras à Summo Pontifice Romano nimis anxiè ac ſollicitè libros ab aduerſariis compoſitos, qui de religione vel minimùm tractant, nō ſolum Catholicis promiſcuè, ſed etiam ipſis Theologiæ profeſſoribus, imò Epiſcopis legendos vetari, ne veritas exquiſitis eorum argumentis comprobata nobis innoteſcat. Hoc te iam ſubinde quodammodo ſubolfeciſſe dicis, cùm adhuc apud Patres Societatis verſareris, dum ab iis tam ſedula dabatur opera, vt tu inter cæteros, cum aliis ſodalibus, ab eiuſmodi librorum lectione tibi temperares.

O luculentum ac impudens M. Antonij mendacium! Quid potuit verſutè aut flagitioſè magis excogitari? Scilicet, vti opinor, fortè boni patres, vt cuiuſque ſuorum indolem accuratiſſimè ac intimè perueſtigant, ingenium tuum ac geniũ ad nouitatis ſtudia nimis propenſum iam tum animaduertebant, tibiq; frænum iniiciebant vt indomitam tuam libidinem atque curioſitatem comprimerent.

Verũ vt hominis perfrictæ frontis licentiam in dicendo ac audaciam retundam, quis tam

imperitus ac rudis tamq; priſcorū Annalium ac veteris hiſtoriæ ignarus, qui neſciat iam tum primum à primordiis ipſius Eccleſiæ tam inuiſum exoſumque fuiſſe nomen hæreticorum, vt non modo ab eorum peſtilenti doctrina, quæ ſerpit vt cancer, ſed ab ipſis etiam perſonis mirum in modum Catholici omnes abhorrerēt.

Edocti ſcilicet fuerant antiquis Iudæorum moribus, qui vt orthodoxi Samaritanis quaſi ſchiſmaticis non coutebantur; ſed maximè in verâ Chriſti Academia, in qua Paulus Apoſt. hæreticum hominem poſt primam & alteram correptionem deuitandum palàm docet. Imò tanta debet hæreticorum deteſtatio mentibus noſtris inſidere vt non modo cum iis omne commercium ſacræ literæ nobis prohibeant, ſed etiam præcipiant, vt *ne* ei quidem *Aue dixeritis. Quæ* enim *conuentio Chriſti ad Belial?*

ad Tit.3. *2. Ioh. 1.* *2. Cor.6.*

Hoc ipſum Polycarpus Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus exemplo ſuo comprobauit, dum obuio Marcioni inſigni Hæreſiarchæ conquerenti, quod ei Aue non diceret, eumque non agnoſceret, reſpondit, *Saluto te ac agnoſco primogenitum Satanæ.*

Hier. lit. de ſcriptorib. Eccleſ.

Quin & olim tanta fuit hæreticorum apud omnes Catholicos abominatio, vt vel ipſi fere infántes cum lacte materno eam imbiberent.

Theodoret. li.4.c.14.

Non audiſti vnquam, M. Antoni, memorabile illud quod à pueris teneræ adhuc ætatis in vrbe Samoſatena factū referunt? Hi pilam, quâ in vico ludebant, quod illa muli, cui Lucius Arrianus Epiſcopus Samoſatenus tranſiens inſidebat, ſolum pedem tetigiſſet, baculis pulſam

ac

ac paleâ ſtraminibúſque coopertam, cateruatim concremarunt, ſuſpicati, ſi manibus eam poſtmodum contrectarent, magnum ſe nefas ac piaculum commiſſuros. Et tu M. Antoni, licet ſenex ac iam maturâ ætate, ad ſeria magis natus tam parum iudicio polles, vt te vel ipſi ludentes pueri doceant, ac iniquum rerum æſtimatorem conuincant.

Itaque iam ſuo tempore magnus ille Chryſoſtomus totus in id incubuit, & rectè, vt à lectione librorum hæreticorum populum auerruncaret. *Baro. ad an. 398. per l. 43 de hæret. C. Theod.*

Sic non modò Pontifices Romani, ſed & Epiſcopi omnes, vbique terrarum exiſtentes, vti ex priſcis autoribus conſtat, eam curioſam damnoſámque legendi libertatem omnino auerſati ſunt.

Quid ergo M. Antoni, ſiccine deliras & inſanis, vt peſtilentiam morbóſque contagioſos ita eſſe nobis fugienda cenſeas, vt non tantum ab ipſarum perſonarum conſuetudine, ſed ab omnibus etiam iis, quæ eorum ſunt, diligẽtiſſime abſtinendum ſit, & quidem meritò, ad corporis valetudinem tuendam; tu tamen adeo ſtolidus & amens vt velis nos & cum hæreticis ipſis verſari, ac præterea peſtilentes eorum libros ac dogmata pernicioſa reuoluere, quibus infecti ſubitam tetrámque animæ noſtræ mortem inferamus.

Tu ne, qui tam ſenex medicus es, quem tam longa experientia prudentiſſimum ac ſapientiſſimum effeciſſe debuit, adeo es nouus tyro vt relictis aphoriſmis Hippocratis iſtos nobis

ob-

obtrudas, & pharmaca ſanitati adeo diſſentanea proponas? Non eris, mihi crede, ex eorum medicorum numero, quorum etiam imperitorum erratum ſola terra tegit. Nam nemo eſt adeo in medicis parũ verſatus, qui medicinam hanc tuam, quam facis ac propinandam nobis inſinuas, non iudicet eſſe primâ fronte lethalẽ.

Adducam in medium, M. Antoni, quod me aliàs audiuiſſe à religioſo viro fide digno recordor, qui interroganti hæretico atque conquerenti, quod Catholicos noſtros à publicorum ſermonum auditione & à librorum aduerſariorũ lectione ita ſtrictè arceamus, è contra tamen ipſi viam ad omnes noſtros & audiendos & legendos regiam ac patẽtem liberè ſuis relinquant, lepidè reſpondit, ſibi mirum hoc non videri, ſed diuinâ quadam fieri prouidentiâ, vt ſcilicet hæreticis ad veritatem, quæ apud nos eſt, non præcludatur omnis aditus; Catholicis verò ita cautum ſit, ne tam mortiferâ, quæ apud ipſos eſt, lue ac peſte infeſtentur. O argutum Apophtegma!

Itaque ob has ſimileſque plurimas cauſas non immeritò ſemper in Eccleſia obſeruatum eſt idque ab omni æuo, vt diligens adhiberetur ſollicitudo in huiuſmodi libris hæreticorum prohibendis.

Quare M. Antoni, deſine tam temerarias in animum ſuſpiciones inducere, deſine has futiles tuas opiniones & coniecturas in vulgus iactare, vt Catholicæ religioni, ſummis Pontificibus Romanis odium ac inuidiam confles.

§. 6.

§. 6. *Contra dogma* V. *De Theologiâ Scholaſticâ.*

INſurgis poſtmodũ M. Antoni, in Scholaſticas Theologiæ diſputationes, quas ita flocci pendis vt eas inanes & aëreas auſis appellare, ſed ineptiſſimè; Scholaſtica enim ſcientia & locis ex ſacra ſcriptura deſumptis, & autoribus Patrum & argumentis validiſſimis ratiocinando vtitur, vt ſuas propoſitiones corroboret ambigua quæque deſtinguit, fallacias detegit, obſcura elucidat, recondita enucleat, rationéſque omnes in oppoſitum adductas ſoluit & enodat. Cum igitur veritas veritati non aduerſetur, fieri nullo pacto poteſt, quin vtiliſſima ſit plurimumque neceſſaria & ad fidei noſtræ dogmata explicanda & ad animos Catholicorum quandoque dubios cõfirmandos, & ad hæreticorum errores euidentiſſimè conuincendos.

Fateor equidem in ea quæſtiones agitari ſubtiliſſimas, quæ tanti non ſint ad agendum, vel ad bene beateque viuendum momenti, vtpote quæ in ſolâ ſpeculatione cõſiſtunt; quales ſunt, quæ verſantur circa naturam Dei ac eius hypoſtaſes & perſonas, relationes, notiones, attributa, myſterium Incarnationis ac vnionis hypoſtaticæ, angelorum eſſentiam, & alia id genus ſexcenta: verũ præterquam quod iis plurimùm exercentur, & quadam veluti cote obtuſiora quæque acuuntur Theologorũ ingenia, etiam maxime faciunt ad inueſtigationem veritatis,

& ad

& ad magna Dei aperienda myſteria, quibus diuinæ maieſtatis ſplendor infinitus, immenſaq́; ipſius gloria detecta homines in ſummam admirationem rapit. Sed & quæſtiones alias, quæ ad operationem exercitiumq́ue virtutum adducunt, ſuo ſinu fouet & complectitur. Agit enim de virtutibus ipſis, quarum ſtudio exardeſcas, de vitiis oppoſitis, quæ aſpernêris, de ſacramentorũ adminiſtratione, vi ac inſtituto, aliiſq́ue pluribus ad vitã bene inſtituendam.

Quæ omnia ſiquis proteruè negauerit, eum vel in ipſa meridiana luce cęcutire, iudicióque deſtitutũ impudentiſſimè mentiri neceſſe eſt.

At verò mirũ videri non debet, ſi omnes fere, quotquot ſunt Hæreſiarchæ, in Theologiam Scholaſticam, quam vellent de medio ſublatam, ſic acriter inuehuntur, vtpote à quâ experiuntur ſe validis argumẽtis ita vrgeri ac premi, vt, quò ſe vertant, plerumque neſciant.

Apage igitur hinc, M. Antoni, qui hanc ſcientiam reſpuis ac reprobare audes, quippe qui fortaſſe times ne illud tuæ, quod à fundamentis excitaſti, doctrinæ ruinoſum ædificium his arietibus ac machinis olim impetatur, aut potius ſuapte mole ſponte corruat.

Taceo M. Antoni, quod aſſeris te in reuoluẽdis Theologorum, qui te docuerunt, ſcriptis, pleráſque veterum Patrum ſentẽtias aliter & in aliũ ſenſum detortas ab illis laudari, quàm quo ex ipſis fontibus hauriuntur. Quod vt gratis affirmas, etiam gratis negare poſſum. Sed in eo te illis magnam inferre calumniam credo, quod his exacerbatis temporibus, quando tot hære-

hæreſes vbique graſſantur & ferè omnia fidei dogmata in controuerſiam vocantur, tam parum ſollicitos fuiſſe profeſſores vero ſimile non eſt, vt verba ſenſúmque autorum accuratè & ad amuſſim non referant.

Non auſus es Marce Antoni, tale quid aliquibus imponere, quorum opera in lucem edita ſunt; quoniam illicò exclamaſſem. Ad pœnam libri, nomina & profer autorem: atque ſi tibi tam inſigne mendacium excidiſſet, protinus te vt perfidũ calumniatorẽ omnes exploſiſſent.

§. 7. *Contra Dogma V. De Homiliis & Sermonibus Eccleſiaſticis quorundam autorum.*

OMitto M. Antoni, quòd aſſeueras, dum tuis onus Epiſcopale humeris impoſitum eſt, vt muneri tuo ſatisfaceres, neglectis illis inanibus Theologiæ Scholaſticæ ſtudiis, totum te ad ea conuertiſſe animum, quæ ad populos tibi commiſſos erudiendos magis oportuna videbantur. Itaque te incidiſſe ais non in alias ferè homilias ac ſermones Eccleſiaſticos, quàm eorum, qui nihil niſi ridiculè garrire ac ineptire, vel ſacris literis abuti ſolent; quod verò ſolidam ſalutarémque doctrinam ſapiat, nihil aut vix quidquam proferre.

In quos tu libros incideris, M. Antoni, non equidem diuinare poſſum, vt quod vel dicis, ſi verum dicis admittam; vel te, ſi falſum, mendacij conuincam. Cui procliue ſit calumniari

fa-

facile eſt hoc modo quidquid velit effutire, vt vulgo ac imperitæ plebeculæ imponat. Verum M. Antoni, tibi negotiũ eſt cum viris, qui hanc tuam ad calumniandum licentiam facilè ſuſtineant, ſi nihil in Dei ac fidei præiudicium proponeres.

Non ſum adeo ignarus ac iniquus rerum æſtimator, quin fatear etiam me quandoque animaduertiſſe aliquot eiuſmodi autores, quales adhuc exiſtunt nonnulli, ſed ſuperioris ætatis, qui ſuis ad populum Chriſtianis concionibus, quædam ludicra minuſq; ſeria immiſcuerunt, & quandoque fabulas pro hiſtoriis ſcribendo nonnunquam obtruſerunt.

Verùm M. Ant. huic veteri æuo paulò adhuc rudiori aliquid condonandum fuit, quo ignari homines altâ pace ac longâ tranquillitate fruentes, nullis hæreſeon concuſſi turbinibus, ſomno quaſi ſemiſopiti altùm ſtertebant, non admodũ ſolliciti ſcrutatores vel cẽſores anxij eorum, quæ ſibi credenda proponebantur, quibus ſine multâ inquiſitione fidem adhibebant. Hinc ſcio factum eſt, vt creſcente indies paulatim ignorantiâ, cùm dormirent homines venerit *inimicus homo, & ſuperſeminauerit zizania.* His verò temporibus, quando tot hoſtes hæretici vigent, qui perpetuò in excubiis ſtant, ſtruunt inſidias ac nobis necem machinantur, non ita facilè patimur quidquam in lucem prodire, præſertim in Theologicis, quod prius limam ac lapidem lydium non ſuſtinuerit.

Matth. 13.

Quid ergo tu Ariſtarche maledicentiſſime, quid tu cenſor iniquiſſime alios cenſurâ tuâ

feris

feris ac pungis, ipſe meritò ac iuſtiſsimè pungendus?

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Quin etiam tametſi aliqui tales auctores in manus tuas veniſſent, cum plures alios eruditione ac doctrinâ præſtantes ſine dubio nactus ſis, cur iſtos improbè diſſimulaſti, & illos importunè calumniatus es? Scilicet credo, ſubiit, hoc in mentem tibi, vt nihil eſſet apud nos ferè, ſiue in Theologiâ Scholaſtica, ſiue, vt vulgò vocant, in poſitiuâ, quod dentem tuum Theoninum ac virulentum non experiretur.

CAPVT VI.

De ſiniſtro pede lupi poſteriori, qui eſt, fallax aſſentatio M. Antonij.

AD hunc pedem tuum læuum vnguemq; detegendum, Marce Antoni, non parum facit callida illa veteris ac annoſi lupi aſtutia, qua tu antrum fugę tuæ opportunum ſagaciter præmeditatus, in quod, ſi quando eſſet opus, vt in aſylum te tutò reciperes, iam tum primùm omnes itineris huius vias ita ſedulò inueſtigaſti, vt liber cum liberis libriſque tuis ſecurus euaderes.

Sed quod maximè ad rē facit, arrectis quæſo auribus attende, Marce Antoni, Vafri admodum ſubdolique ingenij tui verſutiam ac fraudem ad viuum vſq; perſcrutatus ſum & exploraui; da gloriam Deo, & iā mentiri deſine, nec

pete angulos aut ſubterfugia. Fatere ingenuè,num in opere illo tuo decem librorum cõpilando in omnes te partes verſaueris, vt non calceum,vti tamen oportet, adaptares pedi, ſed pedem calceo per vim accommodares? Capis mentem meam? quid obnuis? Rem quidem ſatis capis, ſed vt fucatus es totus ac verſipellis, tu diſſimulas.

Obſcura ſi quæſtio eſt, eam clariùs explico, nam ad hanc defectionem tuam ab Apoſtolica ac Romana ſede, ac Subitá tuam ad externas nationes profectionẽ ſollicitè anxiéque omnia præmeditatus es,non quidem tam ea, quæ ad veritatis inueſtigationem facerent, ſed quæ magis accommodata viderentur auribus eorum, ad quos diuertebas,vtpote quod ex ſacris didiceras illud ſæpius repetere ſolitos, *loquimini*
Iſai. 30. *nobis placentia & audiemus.*

Sic hæreſiarchæ qui poſterioribus his ſæculis Chriſtianos tam multiplici ſuarum hæreſeon peſte infecerunt, hanc viã iniêre,vt perditiſſimos quoſque homines nullo negotio in ſuam ſententiam pertraherent. Etenim omnia quę illis paulò duriora in religione noſtra videbantur, vt ſacerdotum cœlibatum,virginitatem, monaſticam diſciplinam, abſtinẽtiam, ieiunia,confeſſionem, pœnitentiam ac laborioſa omnia opera prorſus reſecanda cenſuerunt, vt relicta ſic vnicuique magna viuendi libertate(vt eſt hodie hominum genus ad omnem ſcelerum licentiam admodum procliue) multos ſuorum dogmatum ſectarios ac patronos ſibi compararent.

Tu

Tu eorum veſtigiis inſiſtens, Marce Antoni, tibi non modo cum regibus ac principibus, cum veteribus hæreſiarchis, ad quos trãſibas, ſed etiam cum Catholicis, quos deſerebas, agẽdum eſſe longè antè animaduertiſti. Ergo iam in eo tanti momenti negotio videamus quid conſilij cœperis.

Nempe ſtatuiſti cautè ac tempeſtiuè, regibus omnibus, quorum auctoritate ac patrocinio maximè tibi opus eſſe ſciebas, ad ſtabiliẽdam tuam ſectam, ante omnia fallaciter abblandiri, beneuolentiam eorum tibi paulatim conciliare, in eorum amicitiam te ſenſim inſinuare. O callidum aſſentatorem!

Deinde verò ne veterum hæreſiarcharum, ad quorum terras proficiſcebaris, impetum ac iracundiam in te cõcitares, quos noueras iam dudum illic ſedes fixiſſe, à quibus non ita facilè deturbari poſſent, propoſuiſti ſubtiliter modum aliquem adinuenire, ſic tua noua dogmata ex arte componendi, vt in eorum ruinam nihil machinari videreris, ſed vt fœdere inito ſociati vnius manus manum alterius fricaret, & mutuas ſimul operas in totius noſtræ religionis cladem collocaretis.

O fraudulentum ac pernicioſum hominem! Denique ne Catholici, quos Pontificios vocas, ex hac defectione ſuſpicentur te nullo erga illos amore amplius affici, ſed illis immortale bellum te indixiſſe, ſubdolo, quo plurimùm vales, ingenio tuo imaginatus es ac effinxiſti rationẽ, qua ſignificares te, licet ab illis egreſſum, non tamen idcirco erga eos officia chari-

tatis prorſus abieciſſe, nihilque tibi màgis eſſe in votis, quàm vt vos, quamuis diſſiti corporibus animiſque diuiſi (ô verba pugnantia!) coniuncti tamen adinuicem vnanimeſque viuatis.

O ſimulatum ac laruatum hypocritam!

Et tu, Marce Antoni, omnes Pontificios, aſſentatores pontificis vocas, qui tamen adeò probè noſti adulari vt regum ipſe verè paraſitus ſis, & quod eſt deterius, aſſentationes tuas falſis dogmatibus ac mendaciis inficias.

§. I.

Fallax aßentatio prima ad Reges. De Regum Auctoritate.

ITaque in primis quod ad reges attinet dicere, Marce Antoni, non ideo migras, vt ex Archiepiſcopo Spalatenſi, ex Croatiæ ac Dalmatiæ Primate, qualem te prædicas repentè & vna nocte, priuſquam portu ſolueris, fias Antiochenus Patriarcha, vel Alexandrinus, vel Conſtantinopolitanus, vel Venetus, imò ne quidem Britannicus. Caue tibi ab eiuſmodi conſilio, Marce Antoni, ne titulum ſummi capitis Eccleſiæ, quod in illis partibus regium eſt, tibi arrogare, & extorquere coronam ac ſceptrum velle videaris. nam & reſpublica tua Chriſtiana eiuſmodi primatus in Eccleſia non admittit.

Audite quæſo reges, quàm Marcus Antonius ab eo propoſito ſit alienus.

In-

Intellexeras,legeraſque non ita pridem M. Antoni,vt opinor,libellos aliquos editos ſuper imminuenda ſummi Pontificis Romani autoritate, ac de regiæ maieſtatis ſupereminenti poteſtate, quam quocunque ſenſu, nulli præterquam ſoli Deo ſubiacere, vel ipſa regia oracula(Delphicæne an alterius inſulæ diuinandũ tibi relinquo) quaſi ad ſonum tubæ vbique terrarum publicata teſtabantur. Tu verò M. Antoni,cui vt ad aſylum confugere illuc animus erat, qua ratione magis efficaci potuiſti reges tibi fortius deuincire, quam argumentis confirmando ſummum illud Regiũ oraculum.

Et ecce callidè atque ad conſilium hoc tuum appoſitè facis,dum tu regibus aſſentari ſtudẽs, eorum perſonas,vti par eſt,mirificè ſuſpicis,& ſecundas à Deo poſt optatum Milleuitanum aliosq́ue auctores,altâ voce prædicas. Clama,clama,ne ceſſes,& inſtar noui Stentoris,licet ilia rumpas, exalta vocem tuam, vt regum autoritatem non ſolùm omni humanæ poteſtati ſuperiorem anteponas,ſed etiam,ſi vis,vt diuinæ adæques. Noſtrâ non intereſt, & lubenter audimus eos, qui regiam dignitatem venerantur & extollunt.

Coluerunt olim hodieq́ue maximè perſonas regias Catholici, ſemperq́ue ſummum in terris poſt Deum *regi quaſi præcellenti,* vt loquitur 1.Pet.2. Petrus, honorem in ſuo genere detulerunt. quis abnuit?quis detrahit?Si igitur in ſuo quoque genere & auctoritas Pontificia Regiam, & regia Pontificiam mutuò iuuat,éſtne hoc iuriſdictionum limites ac metas prætergredi? éſtne

hoc in aliorum poſſeſſiones inuolare, aut iura omnia peruertere. Sed non eſt huius inſtituti controuerſias illas tā exiguo libello ac opuſculo mouere ac dirimere: hoc tantum contēdo, Marce Antoni, vt etiam ex pede iſto te lupum eſſe prodam.

Nā ſiue reges potentiſſimi ſint, ſiue non, quid tum? quid hoc ad tuæ profectionis conſilium facit? niſi vt obliquè hoc argumenti genus, licet extra propoſitum, quaſi tamen ad propoſitum tuum aſſumeres, & veluti ex profeſſo tractares, ſed adulationis cauſâ.

Næ tu vafer es, Marce Antoni, qui tam ſubtili tranſitione tamque tacita digreſſione noueris adeò lubricè in regum animos inſinuare te, vt vix quiſquam animaduertere ferè potuerit.

Pergis igitur, & eodem tuo lupino pede, vt regiam poteſtatem magis ac magis extollas, ſed eo fine, vt pontificiam deprimas ac eleues. Regis Dauidis hiſtoriam proponis, ad quem poſt adulterium fœdè cum Berſabee perpetratum poſt vitam Vriæ coniugi artificioſâ, ſed infami coniuratione ademptam, non ſummum Pontificem Deus aut Leuitam aliquem ſacerdotem, ſed Nathan prophetam miſit, virum quaſi diuinitùs de cœlo delapſum, qui ad commiſſorum ſcelerum pœnitentiam, leui tamen ſuauique, ſed acri ac neruosâ comparatione illum adduceret. *2.Reg. 12.*

Verum hoc eſt, M. Antoni, non diffiteor. Imò etiam ex eo confirmo quòd Samuelem ad Saul, Heliam ad Achab, non Pontifices aut Leuitas,

ſed Prophetas aliquos ad Reges miſerit Deus, vt illorum flagitia & audacem inſolentiam reprimeret.

At verò, M. Antoni, quid tandem eſt illud, quod inde colligis? ſcilicet fortaſſe non eſſe ſummi Pontificis Romani, ſed Dei ſolius, aut eorum, quos ad hoc miniſterium ſingulariter deſtinat, Prophetarum, Reges increpare, aut eorum errata & lapſus arguere, *Nolite tangere Chriſtos meos.*

Bene quidem cœperas, M. Antoni, ſed malè intuliſti.

Nolo ſuperiorum ætatum aut priſcorum temporum repetere aut retexere Hiſtorias, vt probè, ac dilucidè probem ſacerdotales ac Pontificias perſonas non modò Principibus ac Regibus, Monarchiſque minimè fuiſſe inuiſas, aut exoſas, ſed etiam ipſorum duras increpationes acerbáſque cenſuras pergratas ſæpenumero vtiles ac ſalutares illis extitiſſe.

Taceo barbaros Imperatores fide diuinâ minimè illuſtratos, qui ſummos Pontifices etiam antea ignotos, vbi primò in eorum conſpectum venerunt, magnâ ſummiſſione animi, cultuq́; venerati ſunt. Sic olim Magnus Alexander illũ Iaddo Hieroſolymorũ in Iudæa; ſic Attila Leonem Romanorum in Italia; ſic ille ipſe Lupum Trecenſium in Gallia Pontifices ac Antiſtites ſummâ reuerentiâ ſunt proſecuti. *Caſsiod. in Chronic.*

Taceo veteres Annales, veterumq́; omnium Hiſtoriarum monumenta, ne præter inſtitutum noſtrum non ſine faſtidio in immenſum fluat oratio, quibus toties recantatis, longâ, ſed clarâ

ſerie conſtaret innumerabiles Reges poſt Imperatorem Conſtantinũ magnum ſummi Pontificis Romani monita ſalutaria æqui bonique conſuluiſſe; eos autem, qui ex indignatione atque arrogantia detrectarunt ac reſpuerunt, meritas tandem ſuæ contumaciæ pœnas dediſſe.

Vnus mihi ſit inſtar omnium magnanimus ille ac inuictus Ambroſius, qui ob cædem Theſſalonicenſem Theodoſio Imperatori ſic reſtitit in faciem, vt ei ingreſſu Eccleſiæ ſuæ interdixerit, nec prius in templum admiſerit, quàm fuſis copioſè cum ſummo mœrore animi lachrymis, perpetratum à ſe flagitium publicâ pœnitentiâ expiaret. Fuit hic non ſummus Romanus Pontifex, M. Antoni, non Patriarcha, non Primas, ſed priuatus tantum Mediolanenſium antiſtes. fuit Theodoſius non regulus aut impotentiſſimus Princeps, ſed vniuerſi orbis Monarcha, & Imperator. Hic tamen illius acerrimam vim opprobrij abſque vindictâ ſuſtinuit.

Quid dicis ad ea, quæ aduerſum te afferuntur teſtimonia, M. Antoni? An non aduertis totum tuum argumentum his machinis labefactari, ac propoſitionem tuam corruere? Sed id ex induſtria feciſti, vt regibus aſſentando vanis tuis laudibus ac inanibus gloriæ tuæ ventis, hos pulueres, ſed non ſine dolo fraudeque in eorũ oculos coniiceres.

Sic modeſtè primò ac pedetentim inſtar lupi perſonati progrederis, pedémq; hunc tuum fucatum in ouile primò infers, vt, vbi iam te tutum ac ſecurum agnoueris, pellem ouinam abiicias, exeras tuas vires, fauces inſtar fornacis

ape-

aperias ac diducas,vt dentibus tuis leonino more, quæcumque momorderis, infeſtes, denique vt manſuetudinem ac blanditias illas quas extrinſecùs fallaciter præfers ac ementiris,ſubitò ac inopinatò in ferocitatẽ ac rabiẽ lupinam cõuertas. Itaque eſt vti videtis, ô Reges, ô Principes,ô Magnates terræ, quod huic callido ſcorpioni plurimùm iam fidatis,qui dum vos blandâ facie primò intuetur, interim venenatâ ſuâ caudâ ex improuiſo ferit. Cauete.

§. 2. *Fallax aſſentatio II. Ad Hæreticos: De Credendis, & de materia fidei.*

TRanſeo nunc ad Hæreſiarchas, quibus vt tu nouus tyro abblandiaris, M. Antoni, ne illi tibi omnem ad ſe aditum præcludant & cõſuetudinem tuam reſpuant, quaſi ab eorum placitis diſſentias, ante omnia polliceris, nolle te cum illis manus conſerere, nec in certamen deſcendere,armis te quidem multis accinctum iactitas, quæ longo labore tibi comparaueris, aut etiã quaſi claudus alter Vulcanus, aut Monoculus Poliphæmus in tetrâ Cyclopum officinâ ipſemet proprio Marte cuderis ac fabricaueris, parata tamen eiuſmodi tela eo animo à te non eſſe,vt hæc in eos perfidè iaculeris, cum quibus ſocietatem inire magnopere deſideras, ſed tantùm vt in eccleſiam Romanam illis, tibique infeſtiſſimam validiſſimè contorqueas.

O doloſiſſimum ſenem ! verebaris enim fortaſſe, & hoc tibi certè meritò verendum fuit, ne illi tibi primò,quaſi hoſti nouo, infenſi, tumul-

multuarentur, & quaſi canes anteà mutuò rixantes, ad ſubitum hunc lupi occurſum excitati te ſuis dentibus ab ipſo primo limine diſcerperent.

Petis pacem, M. Antoni, vt olim apud Demoſthenem lupus cum gregis paſtoribus. Solemnem autem hanc pacis conditionem proponis, quam inconcuſsè inuiolatam vtrimque poſtulas obſeruari, nempe vt liceat cuique pro arbitrio de quacumque re liberè in Eccleſiâ ſentire, modò ea, quæ ſunt ſimboli & eſſentialia fidei, credantur, idque abſq; vel labe vel ſuſpicione vllâ hæreſeos, in cæteris nemini libertatem adimendam, quin abundet in ſuo ſenſu, & quam voluerit opinionem amplectatur, donec tandem communi omnium calculo tota quæſtio definiatur. Ad confirmationem tibi ſufficit attuliſſe controuerſiam illam grauem, quæ olim mota eſt inter Cyprianum & Stephanum Summum tunc Pontificem Romanum, cum hic conſtantiſſimè teneret baptizatos ab hæreticis, non eſſe hoc ſalutari lauacro iterum abluendos, ille verò contrarium ſentiret, vehementiuſque contenderet ac inſtaret, commouendo totam Africam & comprouinciales omnes Epiſcopos & Catholicos, vt communi conſenſu in ſententiam ſuam pedibus manibúſque deſcenderent. Non propterea, inquis, M. Antoni, ortum eſt ſchiſma inter eos, ſed controuerſiâ illâ non obſtante, vinculo charitatis omnes inuicem coniuncti permanſerunt.

O pernicioſum dogma quod excogitaſti, M. Antoni, vt cum omnibus Hæreticis concordiã

ini-

inires, ad quos iter faciebas, & à Catholicis tamen, à quibus diſcedebas, non omnino recederes.

At verò videris mihi. M. Antoni, ab ipſo limine ſignificare, quam obſcuris tua ſchola documētis obtenebrata futura ſit, qui inſtar Apollinis ambigua verba pronuncias, vt nemo facilè, quid velis, intelligat. Etenim quid per ſymbolum, quid per eſſentialia fidei intendas, non exprimis, ſed artificiosè ſupprimis. An ſolum Apoſtolorum ſymbolum velis, an verò etiam ſolenne illud Nicænæ ſynodi, ac tritum illud Athanaſij, quis poteſt diuinare? An per eſſentialia fidei ſolos articulos in ſymbolo contentos, an alios etiam plures ex conciliis vel aliunde petitos intelligas, non facilè aſſequor. Neq; ſatis etiam percipio, quæ tua mens ſit, cuique opiniones liberas extra ſymbolum & eſſentialia fidei eſſe debere, donec tandem communibus omnium ſuffragiis definiantur: Non enim vt validè fiat, quis definiet, explicas. An admittas concilia, quibus de medio ſublatis, quomodo hæc definitio poſſit expectari, non ſatis perſpectum habeo. Si vero admittis, cum Primatum Summi Romani Pontificis excludas, quis autoritatem ſuam interponet vt cogantur, & coactis illis ſi tanta contentione controuerſiæ moueantur, vt partes conuenire nequeant, quis arbiter aut iudex eas dirimet, M. Antoni? Sed eſto. Etiam fingamus opiniones illas varias aliquando definiri, vt aſſeris, nunquid iam tunc inter eſſentalia fidei annumerabuntur, ne alioqui eiuſmodi definitio prorſus inanis ſit ac vana?

na? Ergo, M. Antoni, in tua ſecta fictitia noui quotidie cudi poterunt ac reuera cudẽtur fidei articuli (mendacem, audi, M. Antoni, oportuit eſſe memorem) quos tamen in noſtrâ Eccleſiâ cumulari nobiſque indies ingeri non ſine faſtidio & nauſea nobis exprobras. Vides quomodo te tuo Mucrone confodis, & iacula tua in nos contorta, tandem in tuum caput retorqueantur ac recidant? nempe *ſagittæ paruulorum* Pſ. 63.
factæ ſunt plagæ eorum.

Tantis inuolucris ac ambagibus intricatam tuam propoſitionem eſſe vides, vt te ambiguũ ac anceps oraculum, imò falſum idolum eſſe vel in ipſo templi veſtibulo agnoſcere omnes debeant, cuius ſi parietem cum Propheta fodiamus, nonniſi abominationes intrinſecùs latentes animaduertere licebit. Ezec. 8.

Scilicet tamen adinueniſſe te putas, M. Antoni, modum illum tamdiu iam quæſitũ à multis, quo tot tantaque flagrantis Eccleſiæ incendia extingui, tot tantæque tempeſtates, quibus hæc nauis agitata concutitur, ſedari poſſint.

Verum falleris, M. Antoni, nec adeo induſtrius aut ingenioſus es, vt te ſolo arbitro priſtinâ ſuâ tranquillitate, noſtra Eccleſia potitura videatur.

Quaſi verò Chriſtianis omnibus ad ſalutem ſufficiat in ſolis ſymboli articulis fidei conuenire, & liceat in cœteris diſcrepare? Ergo ſi hoc verum eſt quod gratis dixiſti, quodque fortaſſe cum multis huius ſæculi politicis, maximeque cum Machiaueliſtis impiis impius intendiſti; poterit quiuis in quacumque Chriſtiani

ni nominis religione, ſalutem ſuam operari modo ſymboli articulos & eſſentialia fidei teneat. Nunquid hæc tua mens eſt, M. Antoni? videor mihi rem acu tetigiſſe.

Verum ſi hoc ita eſt, cur quæſo patres orthodoxi, dum Arrianos olim in Eccleſia graſſantes ita inſectati ſunt, tam acriter in eos inuehebantur, cum tamen totius controuerſiæ cardo circa vnum tãtum ferè ἰῶτα vel apicem volueretur; contendentibus ſcilicet illis filium Dei ὁμοούσιον, his verò, ὁμοιούσιον appellandum. Cur Athanaſius numquàm illud ἰῶτα exile ac vnicum elementum ὁμοουσίου addi paſſus eſt, quo tamen admiſſo, Eccleſia tot ſciſsa ſciſmatibus totque procellis diuexata, breui diremptâ lite conquieuiſſet, niſi quoniam aduerſus Arrianos inuicto ille animo vir ſolemni iuramento illud Chriſti proteſtaretur, *Amen amen dico vobis quod vnum ἰῶτα aut vnus apex non præteribunt, donec omnia fiant.* Si hoc ita eſt, vti pronuncias, M. Antoni, ergo nulla aut vix amplius vlla hæreſis, vix vlli ampliùs hæretici. Nec Lutherus, Caluinus, Beza, Zuinglius, Oecolampadius, Kemnitius, nec Marcus Antonius de Dominis erunt Hæreſiarchæ. Imò nec Arrius, nec Macedonius, Eunomius, Sabellius, Fauſtus, Pelagius, Cherinthus fuerunt Hæreſiarchæ, vtpote qui nihil contra ſymbolum & eſſentialia fidei ſe ſenſiſſe omnes haud dubiè affirmabunt; ſed tantum in quibuſdam aliis opinionibus à cæterorum Catholicorum ſententiâ diſcrepaſſe. Hos tamen ſingulos vt proſcriptos atque à conciliis œcumenicis iam dudum damnatos habet Eccleſia Catholica.

Quod-

Quodnam tamen ſuper his tuum ſit iudicium, non euidenter ex illo tuo libello, quem de profectione tuâ nuper edidiſti, neque facilè poſſem aſſequi.

Sed quidquid ſit M. Antoni, iſtos veteres credo, cenſebis Hæreſiarchas, vtpote cōciliis œcumenicis iampridem condemnatos; priores illos verò ferè coætaneos tuos & poſterioris æui, quidni etiam tales fateberis, vtpote Tridentinâ Synodo conuictos, in qua & omnes Epiſcopi Eccleſiæ conuocati, & eadem prorſus, quæ in antiquis priorum ætatum ac ſeculorum, procedendi ratio ſeruata eſt.

Quod autem obiecisti M. Antoni de Cypriano, non te pudet tantum virum in patrocinium tui erroris aſciſcere? Si enim opinionem ſuam ſuſtinuit etiam contra Summum Pontificem Stephanum vehementi quidem, ſed minùs tamen prudenti eius zelo condonandum eſt, in primis quo hæreticos mirum in modum deteſtatus, eorum non tantùm dicta, ſed etiam facta omnia execrabatur. Nam cùm eiuſmodi res, de qua agebatur, nondum definita foret ab Eccleſia, nihil noui fuit, ſi ſententiam ſuam paulò acriùs in hæreticorum odium horroremq; tueretur, quibus Pontificiæ quodammodo gratificari ac fauere in eo videbatur, quòd efficaciam baptiſmi ab illis collati aſtrueret, quē ipſe Cyprianus ſacrilegium potius eſſe contendebat. Inualuit tamen & obtinuit tandem Pontificis Romani Sententia (vt hoc etiam quaſi aliud agens & tranſcurſim dicam) vt videas quanti ſit ponderis aut momenti ſupra cæteros antiſtites,

eius

eius autoritas, periculoſumq́ue ſit omnino deſertis illius partibus ad quaſcumq; aduerſarias temerè tranſuolare.

Fateor equidem, Mar. Antoni, nec à te in eo diſſentio, ſententias vnicuique liberas eſſe, quãdo ab Eccleſia nõdum ſunt definitæ, ſed tamen eam moderationem in iis ſuſtinendis adhiberi oportet, quæ Chriſtianos deceat. Nam ſi vehementiori motu animorũ, quàm par ſit, & extra modeſtiæ terminos diſputatio fortaſſis erũpat, plerumque ipſa Eccleſia, etiã antequam res definitione ſopiatur, iure merito ſilentium imponit. Sic olim factum in illa veteri quæſtione de Beatæ Virginis conceptione. Sic etiam nuper in illa celebri de Prædeſtinatione ac efficaci gratiâ Dei, inter duos nobiliſſimos ordines, ortâ controuerſiâ. Sic etiam quando difficultas emergeret ſuper iis, quæ in ſymbolo Apoſtolorũ non continentur, quæque tamen in dubium reuocarentur, licèt praxi vſuq́; quotidiano Chriſtianorum comprobata ſint, vt circa cultum ſacramenti Euchariſtię iis promptũ ac ſine mora remedium adhibendum eſt, & meritò quidem, ne nimiâ contentione quæſtiones eiuſmodi agitatæ ſectas ac tumultus pariant, in perniciem ac ſcandalum plurimorum.

Itàq; mirum videri non debet ſi abſque vllo ſchiſmate charitatis vinculo cum Sũmo Põtif. Stephano cæteríſque contra ſe ſentientibus Cyprianus cõiunctiſſimus perſeuerauerit, cum de quæſtione mota nondum vlla ſummi iudicis lata eſſet ſententia, ſed vbi definitio iuſtaq́; ordinatio Eccleſiæ interceſſit, quî fieri poteſt

Mar-

Marce Antoni, vt charitas conſeruetur in eo, qui matris ſuæ leges ac præſcripta pertinaci contumaciâ reſpuit?

§. 3.

Fallax aſſentatio tertia, Ad Catholicos: De Schiſmatis & hæreſis comparatione.

TV tamen Marce Antoni ſub finem tui libelli etiam ad beatiſſimum Patrem, & omnes Catholicos orationem tuam magnâ voce conuertis, & tandem aliquando ad fictam hãc pacem, quam cum illis te velle facere diſſimulas, eos magno zelo ductus adhorteris: Tu inſtar boni paſtoris; qui tamen lupus es, congregaturus oues, quæ perierunt domus Iſrael; exclamas: tu inſtar gallinæ, qui tamen miluus es, alas tuas expandis, vt pullos tuos diſperſos conuoces ac protegas.

O fallacem ac proditorem virum!

Tibi inſtar Cypriani quamuis à pontifice Romano diſſentias, mens non eſt, inquis, licet à patria migranti, à charitate omnium Chriſtianorum mutuâ recedere, aut Eccleſiam hæreſibus ac ſchiſmate diſcindere aut diuellere, modò libera cuique ac tibi præ cæteris viro numeris omnibus abſolutiſſimo extra eſſentialia fidei, quæ nemo præter te nouit, de quacunque re ſentiendi concedatur poteſtas.

Atque vt aſſentando magis poſſis illudere, ſic ſchiſmatis horrorem exaggeras, teque ac alios ab eo ita contendis auertere, vt non quidem

dem ex profeſſo, prout de more habes, ſed obiter mentiri ac errare tibi exciderit, dum ſchiſma ſic eleuas vt hæreſibus omnibus illud anteponendum dicas.

Non meminiſti, Marce Antoni, quod ſæpius te audiſſe ac legiſſe confido, diſcrimen hoc inter hæreſim ac ſchiſma conſtitui, vt illa inſtar cuiuſdam habitus, hoc verò inſtar diſpoſitionis eſſe cenſeatur? At verò in philoſophia, cuius tu publicus olim apud Patres Societatis profeſſor extitiſti, diſpoſitionem vincit habitus, adeoque ipſum ſchiſma hæreſis ſuperabit; nulla enim vnquā hæreſis ſine ſchiſmate fuit; ſchiſma autem ſine hæreſi cogitari poteſt, ſi quis ex ſola proteruia velit à capite diſcedere, licet in fide non erret: nam & Græcos olim habuimus ſchiſmaticos, quos nihilominus non ſtatim numero hæreticorum aſcripſimus. Itaque ſi ſchiſma cane peius & angue oderis, longè capitaliori odio hæreſim proſequi debes, quæ ſchiſma nuſquam excludit, imò ad contumacem obſtinatamque membrorum à ſuo capite alienationem, quam omnino includit, etiam erroris in fide pertinaciam ſuperaddit.

Viden' Marce Antoni, vt quo magis te verſas & exagitas, eo pluribus te tricis ac laqueis implicas inuoluiſque. Tamen adeo fatuus es & amens, ſic iudicio derelictus, vt putes te alterum eſſe Salomonem, qui oraculo diuino ſapientiſſimus eſt iudicatus. Hac fretus audaciâ & præſumptione neminem futurum tibi perſuaſiſti, qui ſubitò ad te tanquam ad angelum

de cœlo lapſum non accurrat, qui te tanquã prophetam magnũ nõ colat, qui tuis veſtigiis non inſiſtat, quique tua dogmata quaſi diuinitùs allata non veneretur.

Omnes itaque ad huius excogitatum à te noui fœderis vinculum poſt tot fluctuantiũ vndarum procellas concurramus, ad te vnum tanquam ad ſacram anchoram confluamus; ambabus omnes, quod aiunt, manibus complectamur, & ad genua tua prouoluti te alterum ſeruatorem noſtrum profiteamur.

Quin apage potiùs, Marce Antoni, qui hoc pede ſiniſtro poſteriori, quo progrederis, non minus falſa dogmata fallaciter blandiendo, quàm altero dextro prodidiſti, impudenter mentiendo. ſed hoc meo breui opuſculo non contendi plena & abſoluta diſputatione tecum diſſerere, vt tuos errores penitus expugnẽ, ſed vt tantùm impugnem; non vt funditus euertã, ſed tantum vt concutiam, vt ſit hic præuium quoddam veluti vmbratile certamen, ex quo tu eminus dimicans iam incipias agnoſcere, quando comminus ſeriò conſerendæ manus erunt, te omnino imparem eſſe viribus & armis Catholicorum.

Conſulo itaque tibi, Marce Antoni, vt dum ſolus ego gregarius tantum & leuioris armaturæ miles leuem hanc impreſſionem in te facio, tu maturè ac tempeſtiuè vel canas receptui, ac ſolum vertas, vel des manus & herbam porrigas: ne qui longo me ſequuntur ordine cataphracti milites te vndequaque aggreſsi armis ſpoliatum proprio te mucrone confodiant,

& tu

& tu, ſed ſerò tamen, indignatione ac doloris impatientiâ victus aduerſus ipſummet Chriſtũ vniuerſi redemptorem, in illam Iuliani Apoſtatarum coriphæi blaſphemam, & execrabilẽ vocem, tu ipſe inquam Apoſtata furibundus erumpas: *Viciſti Galilae.* *Theodoret. li.3.c.20.*

Capvt. vii.

De Cauda Lupi, quæ eſt, Conſcientia ſcelerum vltrix ac vindex.

PEdes tuos quatuor iam ſatis exploraui, Marce Antoni, non pedes euangelizantium pacem, ſed ſcandala, bella, ſeditiones, tumultus. Tu ex his omnibus lupum te prodidiſti, reſtat cauda: videamus, an & illa lupi ſit, & quid in eâ veneni lateat: ſuſpicor eſſe partem omnium pernicioſiſſimam; vulpium Samſonis cauda eſt, tota flammea; ſcorpij cauda eſt tota venenata: *Melanurum ne guſtaueris*, inquit Pythagoras, hoc eſt, piſcẽ illum, qui μελάνουρος, id eſt, nigrã caudam habet, vultum præfers Phariſæi ſub ſpecie cuiuſdam ſanctitatis, ſed ſimulatę; prioribus pedibus incedis plenus arrogantiæ & totus indignabundus ac furens euadis, & errabundus fugis: poſteriori vtroque proſilis, & feris, dum venena mentis tuæ ac volũtatis in animos mittis: Sed tandem à cauda cauendum eſt, ſcilicet, vti video, eſt exulcerata tua conſcientia ſcelerum tuorum vindex.

Hæreſiarcharum illa propria eſt, quam tamẽ

ſemper inſtar luporum inter crura, vt poſſunt, abdunt. Etenim ab omni ętate vix eorum vllus, etiam antequam in hæreſin laberetur, reperiri poteſt, qui ſceleratiſſimè non vixerit. Veterum Hiſtoriarum Annales percurre, & ab ipſis naſcentis Eccleſiæ cunabulis repete initium, ex eorum numero, cuius vita fœdis vitiorum maculis conſperſa non fuerit, inuenies neminem.

Vulgare illud ac omnium ore tritum eſt, hæreſim ipſam, maximè quæ in adultis, non eſſe primum peccatum, ſed ipſius peccati pœnam, quippe quam Deus in animas hominum propter eorum præcedentia ſcelera, licet plerunq; nobis ignota irrepere ſinit ac patitur. Sic occulto, ſed tamen iuſto Dei iudicio hæreſiarchę de criminibus ante perpetratis ęquiſſimè plectuntur, ac meritas pœnas luunt, dum cor excæcat, induratq́;, tradit eos *in reprobum ſenſum, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant.*

Vereor equidem M. Antoni, & ſummoperè vereor, ne tu ſimilem quoque caudam geſtes, & quod cæco nato fuit olim ignominiosè obiectum, in te meritò quadrare poſſit, quod in peccatis natus ſis totus.

§. 1. *Congeries flagitiorum Marci Antonij.*

Omitto ego conſcientiæ tuæ ſcelera occulta, ſi quæ ab ineunte tua ætate vſque ad ſenilem hanc fortaſſe commiſiſti, quorum tu tibi ſolus conſcius es, quæ Deo apprimè nota ſunt, qui ſcrutatur corda & renes, qui capillos noſtros greſſuſque & veſtigia pedum noſtrorum dinumerauit.

Omit-

Omitto nefaria etiam facinora, quæ ſine dubio ab ijs, quibuſcum aliquod olim commercium tibi fuit, breui palàm vbique diſſeminabuntur, quæque olim à te perpetrata, ex hoc miſerabili tuo caſu, ac infelici in hanc tam infamem hæreſim lapſu præcipitioque, haud dubiè coniicio: præſertim ſub vitæ tuæ finem, quando potiùs, ſi te diuinis beneficiis dignum præbuiſſes, & aliqua pietatis adhuc Chriſtianæ ſcintilla tibi reſidua foret, debuiſti totus in id incumbere, vt de anteacta vita pœnitentiam ageres ac de ſalute tua ſollicitè cogitares.

O inſcrutabilia Dei iudicia!

Taceo iam, nec repeto criminia omnia, licet ſatis multa, quæ hactenus ordine perſecutus ſum, vt hypocriſim tuam, ſimulationem, verſutiam, fraudem, dolum, ſuperbiam, arrogantiam, faſtum, oſtentationem, iactantiam, ambitionem, pertinaciam, φιλαυτίαν, indignationẽ, impatientiam, mendacia, falſitatem, errorem, perfidiam, aſſentationem, & alia id genus, quæ ſenectutem tuam ſtipant ingenti, ſed turpi, fœdoque comitatu.

Trãſeo ad reliqua flagitia, quæ ex hoc tuo, quẽ diuinâ permittente prouidentiâ in lucem edidiſti, exiguo libello collegi, quo ſceleratam tuam vitam prodis, & qualem quiſque facile poterit expiſcari, ſi paulò attentiùs eam reuoluerit.

Nam ſi ab ineunte ætate ducamus initium ex defectione illa tua, de qua iam tam multa dicta ſunt à nobis, à Societate Ieſu, ni fallor, hinc anim' tibi poſtea procliuior ad cętera pec-

cata euaſit,ambitionique tuæ ſtrictas anteà laxaſti habenas, & gloriæ cupiditate anhelans nihil putaſti poſſe inſatiabilem hanc tuam honorum libidinem explere, niſi aliquod ſingulare nouum & inauditum molireris.

Itaque vt religioſus à religione iam defeceras, habitúmque ſæcularem aſſumpſeras, ſic etiam Archiepiſcopus ab ordine ſacerdotali ac Pontificio Epiſcopales infulas exuiſti, ac denique olim Catholicus, iam à fide orthodoxâ vt nouus hæreſiarcha perfidè deficis.

§.2. *Impietas in parentes, ſummum ſcilicet Pontificem & Eccleſiam.*

QVare tibi, M. Antoni, hæc tam ſcelerata conſilia iam tot annos meditanti grauiora indiés facinora? diabolus ſuggerebat, nec vnquam deſtitit, donec data Interdicti Veneti occaſione eruptis quaſi compedibus, quibus tua te conſcientia fortaſſis adhuc retinebat, firmiter tandem apud te ſtatuiſti fractis omnibus pietatis repagulis communem Catholicorum omnium parentem Summum Pontificem Romanum ac matrem Eccleſiam impio ac nefario auſu prodere ac temerare.

O parricidium omnium teterrimum ac mille culeis inſui dignum! Patere quæſo, M. Antoni, vt ad flagitium hoc tuum exaggerandum noſtra paulò longiùs excurrat oratio.

Formoſiſſimam olim caſtiſſimamque matronam (quæ duo ſimul vix aut rarò in fœmina re-

pe-

perias) dum in horto nihil tale ſuſpicata, balneis pro more corpus allueret, duo proiectæ libidinis ſenes adoriuntur, rogántque primò vt ſe ab iis conſtuprari patiatur. Sed deteſtata facinus tam abominandum, vbi eorum conſilia reſpuit, impetum in eam faciunt, pudicitiam tentant, vimque conantur inferre reluctanti, minantur ſe illam accuſaturos adulterij, ni ſe fœdè proſtituendo copiam ſuam faciat. His arctata vtrimque anguſtiis, quid conſilij capiat? In hac ancipiti cura cogitandi quò ſe verteret, anxia exclamat ac vocem magnam querula emittit: *anguſtiæ mihi ſunt vndique, ſi enim hæc egero, mors mihi eſt, ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras: ſed mihi melius eſt abſque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in cõſpectu Domini.* Tum ad Deum clamores ingeminat: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequã fiant, tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me, & ecce morior cum nihil horum fecerim, quæ iſti malitioſe compoſuerunt aduerſum me.* Itaque tãdiu vociferãdo vtrique libidinoſo ſeni reſiſtit, donec ad ſuppetias ventũ eſt. Quod minati fuerant, commiſſi adulterij Suſannam licèt intactam inſimulãt, in flagranti delicto ipſam deprehenſam, & adulterum ex manibus eorum elapſum ambo teſtificantur & conuincunt. Quid plura? ex præſcripto legis dum inſons ad ſupplicium extra vrbem lapidibus obruenda ducitur, ſuſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris, cui nomen Daniel, qui populum ad necem innocentis properantem his verbis affatus reuocat. *Fatui filij Iſrael, non iudicantes, neque, quod verum eſt, cognoſcentes, condemnaſtis*

Daniel. 13.

 filiam

filiam Iſrael: reuertimini ad iudicium, quia falſum teſtimonium locuti ſunt aduerſus eam. Reuertuntur, Daniel ambos teſtes aduocat, vtrumque ſeorſim & in promptu examinat, diſcordes eos in teſtimonio falſi conuincit. Ita deliri ac intemperantes ſenes, iniquiſſimæ ſuæ accuſationis, quas pudiciſſimæ matronæ parauerãt iuſto Dei iudicio pœnas dederunt: Suſanna verò victricibus palmis coronata non tantum ab eiuſmodi irrogatâ infamiâ immunis euaſit, ſed & gloriam nomini ſuo ſempiternam peperit, quam nulla vnquam obliuio delebit, quam poſteritas alit, & excipient omnes anni conſequentes.

Simile quid mihi videre videor, M. Antoni, in Eccleſiâ Catholicâ Chriſti ſponſâ, *Tu enim tota pulchra es, & macula non eſt in te;* tu caſta & virgo es, quæ in viridariis hortiſq; concluſis habitas, vbi ad lauacrum fontes ſignati perenni aquæ limpidiſſimæ fluxu ſuauiſſimum auribus ſuſurrum edunt. Illam tamen non ita pridem duo inueterati ac maleolentes hœdi aggreſſi, tibi M. Antoni, neſcio qua carnis petulantia, credo, affines, Lutherus & Caluinus conſtuprare attentarunt, dum eam effrenatæ libidini ſuæ acquieſcere poſtularũt. At vbi conatus irritos vident, tum in eam debacchantur, & quidquid in buccam venit, effutiunt, garriunt, deblaterant & totum acerbitatis ſuæ linguæ virus in eam euomunt: vbique clamant & vociferantur, *Tu fornicata es cum amatoribus multis*: Accuſant eam adulterij ac violatę fidei coniugalis, quod ſcilicet honorem diuinum aliis, quam Deo parent. Chriſtoque ſponſo deferat, quòd ſcilicet ſan-

Hierem. 3.

ĉto

ctos veneretur & inuocet, quod Bacchum ac Cererem in Eucharistiæ Sacramento adoret, eosque cultu, qui soli Deo debetur, supremo colat.

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis *Virgil.*
Tuq; comesq; tuus magnum & memorabile nomen,
Vna dolis hominum ſi fœmina victa duorum eſt.

Cum itaq; his delirantium ſenum calumniis expoſita de impoſitis criminibus ſuſpecta, vbique terrarum etiam apud ſuos malè audiret, iãque fere de adulterio ſpiritali & idololatria cõuicta per compita vicoſque miſerrimè dilaceraretur, & ignominioſè exſibilaretur ab omnibus, in eiuſque caput crebra crepitantium lapidum fulmina corruerent: inter has anguſtias ſparſis capillis, ſciſſiſque veſtibus, ac facie horum vnguibus luporum fœdatâ, non tam ſuam, quàm liberorum ſuorum errantium ſortem miſerata, imò de pectore ducit ſuſpiria, gemebũda lachrymas fundit, & quaſi deliquium pateretur vox faucibus hæſit. At minimè cadit aut deſpõdet animo, nec iſtorum violentis motibus cedit nec importunis toties repulſam paſſorum querelis flectitur. ſed inſtar palmæ quãtumuis grauitate oppreſſæ ponderi reſiſtit, ſeſeque iterum magis attollit; *anguſtiæ*, inquit, *mihi ſunt vndique ſed mihi multò melius eſt incidere in manus hominum, quàm peccare in conſpectu Dei viuentis.* Itaque

Si fractus illabatur orbis *Horat.*
Impauidam ferient ruinæ:

Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus me. Suſcitauit ergo Deus nõ ſpiritum pueri iunioris, ſed ipſemet Spiritus Sanctus Eccleſiam ab ea infa-

mi

mi calumnia vindicaturus, omnes antiſtites æquiſſimoſque ſuos Eccleſiaſticos iudices cõuocat, ac Synodum Tridentinam cogens, fatui, inquit, non iudicantes, neque, quod verum eſt, cognoſcentes, Eccleſiam Romanam condemnaſtis; *Reuertimini ad iudicium, quia falſum teſtimonium locuti ſunt aduerſus eam.*

Itaque caſtiſſimę huius Suſannæ cauſa iterum accuratiùs diſcutitur, ambo teſtes de nouo examinantur, falſaque illorum teſtimonia comprobantur, atque adeo vterque communibus omnium ſuffragiis anathemate plectitur & cõdemnatur, Eccleſia autem Romana innocens & ab omni adulterio ac perfidia immunis declaratur.

Hæc omnia, M. Antoni, quæ lippis & tonſoribus nota, tibi ſine dubio etiam perſpecta ſunt, tu tamen de nouo ſententiam hanc euertere paras, quæ tranſiit in rem iudicatam, quæque lata eſt à ſummo œcumenici concilij Senatu, à quo prouocare fas non eſt. Ambo illi quos habuiſti tuæ coniurationis anteſignanos, omnem mouerunt lapidem vt Suſannam iſtam quaſi fornicariam opprimerent, mouerunt & alij Hereſiarchæ innumerabiles, ſed irrito ſucceſſu. Quid tu ergo iam ſolus moliris? *Nemo Hercules contra duos.* Siſte, quæſo, M. Antoni, & litem hanc refricare deſine, ne iterum iterúmque cum tuis conſpiratoribus ac ſectariis cauſâ cadas.

• Memineris, quæſo, M. Antoni, matrem tuam eſſe, quæ te ab ipſis cunis educauit infantẽ, puerum inſtruxit, adoleſcentem promouit, iuuenẽ

ho-

honoribus cumulauit, Epiſcopum te Segnienſem primò, tum Archiepiſcopũ Salonitanum, Croatiæ, atque Dalmatiæ Primatem creauit, quid plura M, Antoni? quid potuit tibi facere; & non fecit? Et tu tamen impius ac nequam inſtar muli recalcitrantis eam calce feries? inſtar viperæ illam tuo veneno interficies?

O ſumma hominis ingratitudo! ô ingratiſſimi filij erga beneficentiſſimam matrem impietas! *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.*

Te quaſi colubrum frigore rigentem & exanimem meo excepi ſinu ac foui, & tu tamen calefactus ac rediuiuus tuo me peſtilenti aculeo pungis.

Nunquid illa te malè ſic excepit domi, vt ieiuno tibi ac famelico neceſſaria omnia denegarit? Nihil ſimile de te audio aut ſuſpicor, Marce Antoni, quippe quem hominem eſſe obeſum intelligo, ventre diſtento ac bene ſaginato, qui etiam ætate ſexagenariâ longo moleſtóque itineri ſe potuit accingere. Quæ certè conditiones minimè videntur eſſe deſpecti neglectíque filij, vel corporis ægri ac præ macie tabeſcentis. Quid ergo tandem eſt. M. Antoni, quod de illa tua dulciſſimâ matre conqueri poſſis? Nempe *Incraſſatus eſt dilectus, recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* *Eſai. 1.*

Non migraſti ſponte, M. Antoni, ſcio, inſtar Abrahami de terra ac cognatione tua lubẽs ac volens, vti fabulando iactitas, quaſi diuinis mãdatis obtemperaturus; quin potiùs coactus ac

in-

inuitus inſtar cuiuſdam perditiſſimi Caini fraterno ſanguine conſperſi, aut inſtar furioſi cuiuſdam Oreſtis maternâ cæde cruentati, fugis ac profugis, ſtimulãte te ad hoc & vrgente ſcelerum tuorum vltrice conſcientiâ, quæ tibi perpetuus ſemper à tergo tortor, & crudeliſſimus carnifex inſtat,

Horat. *Raro intercedentem ſceleſtum.*
Deſeruit pede pœna claudo.

Sed quid à tergo dico, inſtat, imò & à fronte aſtat perpetuò. *Dabit tibi Dominus ibi cor pauidum & deficientes oculos & animam conſumptam mœrore, & erit vita tua quaſi pendens ante te,* inquit ſcriptura. Deut. 28.

Cic. pro Milone. 'Magna vis eſt conſcientiæ, M. Antoni, vt ſemper ob oculos pœnam verſari putet, qui peccarit.

Hæc fugæ tuæ, fugæ, inquam, tuæ, M. Antoni, vera cauſa eſt, qui tuorum tot flagitiorum conſcius illud Caini facinoroſiſſimi tui ſocij trepidus tremuluſque ſemper mente agitabas, *Quicumque inuenerit me, occidet me. Fugietis* enim *nemine proſequente*, & terrebit vos ſonitus folij cadentis. Gen. 4. Leuit. 26.

Non igitur, M. Antoni, alias defectionis huius cauſas effinge, non alios huius tuæ profectionis colores quære, ſola ſcelerum tuorum conſcientia, quæ perpetuum illis ob oculos paratum ſuppliciũ proponebat, tibi ætate iam prouecto, ad repentinam adeo ac ſubitam fugam, hos tam celeres licèt tortuoſos nequitiæ pedes fabricauit, vt criminum tuorum, quæ iam aduertebas paulatim detegi ac euulgari, vindices pœnas euaderes.

Verùm licet fugias, effugere tamen illas nũquam,

quam, M. Antoni. *Feciſti enim, Domine, & ita eſt*, inquit Auguſtinus, *vt animus immoderatus ſibi ipſi ſit pœna.*

§. 3. *Comparatio M. Antonij cum M. Antonio Romano.*

SEd quò fugis, Marce Antoni, quò tandem properas. Tu ne ille Marcus Antonius ex Romanorum olim triumuiratis, qui cum armis & ingenti exercitu in Ægyptum ad Cleopatrã tuam migras? Quæ iſthæc adhuc noua μετασωμάτωσις καὶ μετεμψύχωσις, vt non ſolum in lupũ ſed & in λυκάνθρωπον ſis transformatus.

Ergóne tu ille rediuiuus M. Antonius, qui cũ Lepido Luthero, & Cæſare Caluino nouum triumuiratum cõponis? Credo equidem, nec vana fides. Tu enim inprimis Luthero in hoc es compar, quod vt ille anno ſupra milleſimum quingenteſimum decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum prodiit, tu pariter, neſcio quo fato, etiam poſt exactúm iuſtè reuolutumque integrum ſeculum, ſimili ac eodem prorſus anno caput exeris. Scilicet vt præſignificetur quanta inter vos ambos mutua ſocietas, vitæ, morumque in Eccleſiâ perturbanda ſimilitudo fatura ſit. Vnum hoc intereſt, M. Antoni, quod ille Saxonem principem potentiſſimum ſuarum nouitatum fautorem habuerit, qui eum armis aduerſus omnium tela tutatus eſt: tu verò, Marce Antoni, quantumuis tua in Rempubl. Venetam merita iactites, adeoque illam tibi propitiam

pitiam fore perſuaſiſſes, non tamen ſcelerati conſilij tui patronam inueniſti, quæ in ditione ſua te falſa tua dogmata proponentem foueret ac protegeret, & aduerſas omnium inſidias à capite tuo propulſaret, non enim illa tam facilè religionē Catholicā erat deſertura, quam à tot retroactis ſeculis amplexa, tamque ardenti amore proſecuta fuerat, vt nec ab orthodoxa fide, in qua ad hunc vſque diem conſtantiſſimè perſeuerat, nec ab Apoſtolicæ ſedis Romanæ partibus, vlla vnquam temporum volubilitate dimoueri potuerit.

Non potuiſti Archiducem Ferdinandum vicinum tuum aliósve Auſtriacæ familiæ Principes ad partes tuas pertrahere, vt non tantum in tuâ diœceſi Metropolitanâ, ſed in totâ tua Prouincia, Italia, Germaniáque vniuerſa tibi tuas nefandas hæreſes euulgare liberè liceret.

Noueras ſatis, M. Antoni, domum hanc totā Auſtriacam ab eiuſmodi tuis ſimilibúſque conſiliis nimis eſſe alienā, vtpote quaſi diuinâ quadam prouidentia excitatam ac erectam, vt Eccleſiam ab omnium latronum excurſionibus, ab omniúmque piratarum vi, qui vndequaque graſſantur: potētiſſimè vindicaret, ac terrâ mariq́ue defenderet.

Si eorum credidiſſes te aliquo modo poſſe gratiam aucupari, vt vel Archiduces, vel Venetos ſectæ nouæ, cuius tu autor eſſe vis, obſecundantes haberes, nunquam fugam eſſes meditatus, nec vnquam de iſta profectione cogitaſſes: quin tu potiùs licèt inde iam egreſſus reſpiceres patriam, ac tandem reuerſus, ſi voti tui compos

eſſe

eſſe poſſes, in illa, quod rarò quidem accidit, patria tua, Propheta nouus euaderes.

Verum, quia ſic cœptis tuis fortuna non arriſit, in hoc ipſo cum altero tuo commilitone Caluino conuenis, quippe cui, vt ſua dogmata liberè publicare fas eſſet, extra patriam fugere ac Geneuam omnium vitiorum cloacã ac ſentinam hæreſeonque ſeminarium ſe conferre illi neceſſum fuit. Sic M. Antoni turpiter ac ignominiosè, nemine ſalutato, præcipiti ac inopinatâ fugâ migraſti.

O teterrimum ac pernicioſiſſimum hæreticæ coniurationis triumuiratum? nẽpe vt olim illi rempub. Romanam ſuis armis ac ſeditionibus, ſic vos eandem hoc æuo veſtris quoque tumultuoſis contentionibus belliſque perturbare contenditis?

Sed quò tandem, Marce Antoni, ſcilicet, credo, vt ille tui nominis M. Antonius, in Ægyptum? Itane in Ægyptũ Marce Antoni. In Ægyptum, vbi olim *tenebræ palpabiles*? vbi inter hanc caliginem lux magna paucis iuſtis affulgebat? vbi tam duro longóque iugo fideles Iſraelitæ oppreſſi? vbi tandiu expectatus inuictiſſimus Moyſes, qui Deo duce afflictos Hebræos ab ea intolerabili ſeruitute aliquando liberaret? Tu ne is, Marce Antoni, qui iam eò migras, vt facias magnalia in Ægypto, mirabilia in mari rubro.

Exo. 10.

Sap. 18.

Sperabamus quod eſſes redẽpturus Iſrael, ſed, vt audio, M. Antoni, huc te cõfers ad Cleopatrã tuã, Cleopatram ſpurcã ac fornicariã mulierẽ; religionem impuram intelligo hæreſibus to-

tam inquinatam, cum qua te quaſi ſus in volutabro fœdiſſimè volutes.

Perſuaſiſti tibi, credo, M. Antoni, quod illa vt olim ſuum Marcum Antonium te conuiuiis opiparis exceptura ſit, nouos iterum latices in aureis pateris cum pretioſiſſimis gemmis tuo gutturi ſuauiſſimos propinatura, quin etiã fortaſsè tibi, licèt inueterato dierum ſeni, copiam ſui factura ſit. Quid enim ſcio, Marce Antoni, an etiam carnis aliqua libido ac petulantia te vt cæteros hæreſiarchas illuc pertraxerit? nam & ſub hyemem migraſti, Mar. Antoni, eo conſilio fortè vt corpori tuo præ ſenio ac frigore iam contremiſcenti, dum in lecto decumbes, aliqua Cleopatra vel noua-vetus aliqua Lais, quę ſuo calore ſenilem tuã ætatẽ foueat, à latere adiungatur. Etenim, vt hoc etiam cæteris anteactæ vitæ tuæ vitiis addatur, vtrum olim libidinoſa & intemperans tua iuuentus effectum corpus tradiderit ſenectuti, nec ſcio, nec aſſero. In hac autem ætate, in qua nunc viuis, vix quidem auſim cogitare, niſi fortè hoc etiam in te quadret, quod in alios eiuſmodi ſenes dixit Auguſtinus, *peccata te dimiſerunt; non tu illa.* Itaque concludo, M. Antoni, per illud propheticum Apoſtoli, quo tui ſimiles hæreſiarchas ita gra-
1.Timot. 3. phicè deſcribit, vt te tuaq; vitia ſingillatim videatur expreſſiſſe. *Illud autẽ ſcito,* inquit, *quod in extremis diebus inſtabunt tẽpora periculoſa, erũt enim homines ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impÿ, curantes affectum, neſcÿ fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes, bonorum proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes*

amantes potius, quàm amantes Dei, habentes formam pietatis, ſed qui vim eius abnegarint, & iſtos auerſare. Deus immortalis, quã hæc omnia in te apprimè quadrant, vt videaris eſſe totus, quem Apoſtolus extremis temporibus olim futurum quaſi digito indicauit.

CAPVT VIII.

Concluſio parænetica ad Marcum Antonium, vt reuerſus ad Eccleſiam reſipiſcat.

SEd tamen amoto quæramus ſeria ludo. *Horat.*
Iam hæc omnia miſſa faciamus, ad te M. Antoni, noſtra ſe ſupplex conuertat oratio.

Fateor equidem M. Antoni, me paulò acerbiùs hactenus tecũ egiſſe, maiorique vehementiâ, quã qua poſtulaſſes, contra te ſtylum meũ exacuiſſe qui etiam, ſi eâ quâ Tullius eloquẽtiæ vi ac verborum efficaciâ valuiſſem, nouas haud dubiè Philippicas orationes, vt ille quondam aduerſus M. Antonium, ego contra te pariter cognominem, inſtar fulminum contorſiſſem M. Antoni. Iã verò culpæ omnis, ſi qua in eo fuit, veniã à te deprecor. Ignoſce ſi te paulò acriùs inſectatus ſum, ſi paulò duriùs aſperiuſque ac nimis ſatyricò ſtylo in te inuectus ſum. Condonandũ hoc eſt vehementiori zelo domus Dei, qui comedit me, ſi canitiem tuã ac ſenectutem minori reuerentiâ ſum veneratus, quã tibi par eſſe videatur, ignoſce. Iuſto enim dolore affectus, grauiter ac iniquo animo tuli, à te iã prouectioris ætatis viro Eccleſiam noſtrã calumniis proſcindi, tantóq; atrociores illi à te iniurias fieri, quò te pluribus antea beneficiis cumularat, & ad ſummos honores euexerat.

Attende quæſo M. Antoni, quantæ ingratitu-

dinis ac impietatis reus es,qui ſic parentem olim tuum,& qui adhuc,velis nolis,tuus eſt,parentem inquam tuum ſummum Pōtificem Romanū tum mortali odio proſequeris,vt eius gloriam ac ſplē-dorem non obſcurare modò, ſed penitùs extinguere contendas,qui matrem tuam Eccleſiā Romanam,quæ ſua olim filio ſuo toties vbera præbuit, violento impetu aggrederis.

Tu ne iam M.Antoni Rubiconem prætervectus arma impiè in patriam infers? tu ne illum inſtar indignati ex impatientia Coriolani durâ obſidione cinges.Quin tu potius hunc imitatus, profuſis afflictæ tuæ matris lacrymis,eiulatibus ac ſqualore commotus frangere : quin tu potius illam ea,quà premitur,graui obſidione liberas. Non audis iuſtas ex ſingultibus matris ſuſpirantis querimonias? *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, & ſi is, qui oderat me ſuper me magna locutus ſuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo, tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus,qui ſimul mecum dulces capiebas cibos,in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.* At verò quod me magis angit & cruciat, *homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplātationē.*

Pſ.54.

Pſ.40.

An non vides illam filiorum olim ſuorum,ſed contumacium,qui te præceſſerunt tā crebris ictib. ac vulnerib. iam ſauciatā? Καὶ σὺ Μάρκε τέκνον,& tu quoq; M. fili, diſtricto gladio patri tuo matríq; ſimul nouā & inauditā internecionē minaris. Reprime, quæſo M. Antoni,reprime animi tui, cohibe violentæ manus tuæ furioſum impetum, neque caput illud obtrunca, cuius tu influxum aliàs ac vitam expertus es,nec vterum,qui te geſtauit, gremium quod te fouit, vbera quæ te lactarunt, audaci,crudeliq́ue pugione impius ſicarius

Plutarch.in Iul. Cæſar.

vul-

vulnera. Si tuos fortaſſe parentes peccaſſe credidiſti, aut aliquo vino imprudentiùs captos, cur inſtar deteſtandi Cham pudenda eorum reuelas, qui potius auerſa facie totuſq́; verecundo pudore ſuffuſus, inſtar alterius Sem benedicti, cooperire ac tegere debuiſti. Itaque oculos tuos in Eccleſiam, quam deſeris iam ſatis protritam ac pedibus conculcatã, quæſo, coniice, ac ingemiſcens cum propheta ſimul mecum exclama.

Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, facta eſt quaſi vidua, domina gentiũ, princeps prouinciarũ facta eſt ſub tributo. Plorans plorauit in nocte & lacryma in maxillis eius, omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici. Viæ Sion lugent, eo quod non eſt qui veniat ad ſolennitatem, omnes portæ eius destructæ, ſacerdotes eius gementes, virgines ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine. Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius, facti ſunt principes eius velut arietes, non inueniẽtes paſcua, & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis, Manũ ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius, quia vidit gentes ingreſſas ſanctuariũ ſuum, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam. Tren. 1.

Audiſnè M. Antoni, quanta tu cum tuis mala in Eccleſiæ ciuitatem inuehas? quantas clades & calamitates inferas, & non vides quod inſtar Sãſonis & Eleazari alios opprimens, teipſum etiam ſimul interficis?

Proſtratus ego prouolutiſque ad te genibus, extentis ad cœlum manibus lacrymabundus ac ſuſpirans per viſcera miſericordiæ Dei noſtri precor te ac obnixè obteſtor, teq́; ſummis precibus efflagito M. Antoni, vt infelicem infauſtæ ſenectutis tuæ ſortẽ conditionemq́; miſeratus, iam reſipiſcere incipias, & ad bonam frugem redire.

O vtinã M, Antoni, fierem iam voti mei cõpos

& aliquis tibi diuinæ lucis radius affulgeret, qui tibi non cæco nato, ſed cæco propediem morituro viſum reſtituat.

Aperi oculos quæſo M. Antoni, quos certè faſtus, ſimulatio, ac nequitia & neſcio quis fallax genius excæcauit. Attende quod per auia & inuia vageris, vide quò te præcipitem des.

Depone iam quæſo M. Antoni, laruam illã hypocryſeos tuæ, ſuperciliũ ſuperbiæ, ac frontem audaciç, habitum apoſtaſiæ, ſpiritum mẽdacij, ac erroris, fallaces aſſentationum blanditias, ſcelerumq; præteritorũ conſcientiã, pauliſper queſo ſecretiores animi tui receſſus penetra, tu ipſe ſcrutare corda tua & renes, omnes pectoris tui latebras explora, & fatere ingenuè, ſi dictis vita moréſq; reſpondeãt intrinſecus, ſit alis es, qualis haberi vis.

Tecum habita & noris, quam ſit tibi curta ſupellex.

Redi ad te M. Antoni, proba iterũque proba ſpiritus an ex Deo ſint, an potius ab aliquo tetro tenebrarum principe, qui ſe quandoque transformat in Angelum lucis.

Redi ouis quæ vagaris ac erras, redi ad paſcua, redi anima quæ te perditura profugis, redi ad ouile.

Cant. 3. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere vt intueamur te.*
Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere poſt veſtigia gregum tuorum & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Dic tandem & exclama M. Antoni,
Pſ. 118. *Errani ſicut ouis, quæ periit, quare ſeruum tuum Domine.* Dic tandem & exclama M. Antoni,
Thren. 3. *Miſericordias Domini quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.*

Sera quidẽ pœnitentia eſt, ſed adhuc ſatis tẽpeſtiuè, dũ ſuperſtes eſt vita. *Sat citò ſi ſat benè.* Feſtina ergo M. Ant. feſtina, nondũ enim deſperatæ ſalutis es, necdũ tibi ad pœnitentiã viæ obſtructç, ſi prono

vultu

vultu ſũmiſſóq; proſtrat' ignominioſę tuę fugæ ac perpetratorũ ſcelerũ veniã depreceris, Nõ patria exturbatus tua, ſed ſponte, vt inquis, turpiter tamẽ iam migraſti, non te per ætatem pudeat, quaſi de miſericordia diffidas, fugam illam infamẽ ſolemni tuo reditu, famoſóq; reparare. Omnes tibi in occurſum ibunt, applaudẽt, cõgratulabũtur, benignus tibi parẽs condonabit, indulgentiſſima tibi mater ignoſcet, ſi modò culpam tuam agnoſcas.

Si quam tuâ ſubitâ defectione populis omnibus peperiſti admirationẽ, in maximam iam tuâ tam repentinâ reconciliatione vniuerſum terrarum orbem trahes ac rapies. Sed feſtina, M. Antoni feſtina. *Serò ſapiunt Phryges.* Occaſio tibi nulla eſt longas nectẽdi moras, propera. *Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, &, vbicumque ceciderit lignum ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi erit.* *Matt. 3.* *Eccleſ. 11.*

Exitus acta probat, & finis coronat opus.

ἅμεφαι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι, inquit Pind.

Poſtremi dies vitæ totius anteactę ſapientiſſimi teſtes ſunt, & Seneca, ſcitè admodum.

Vnus de alio iudicat dies, ſed ſupremus de omnibus.

Latro ille, qui ad Caluariæ montem ex cruce pendebat, cum iam vltimum ferè ſpiritum efflaret, à Chriſto miſericordiam conſecutus eſt.

Supra omnium caſus, magni Oſij Cordubenſis olim in Hiſpania Epiſcopi miſerandus fuit. Cum is enim per tot annos, tot tantíſque publicis actionibus in Oriente & Occidente ſpectatus fuiſſet, tot ſummis Legationibus perfunctus, tot conciliorum magna ex parte autor exſtitiſſet, Elibertini, Arelatenſis, Neoceſarienſis, Alexandrini & duorum magnorum atq; œcumenicorum Nicæni & Sardicenſis, & aliorum, quorum memoria ex- *Socrat. lib. 2 c. 22. Athã. epiſt. ad Solit. & apol. 2*

 cidit,

cidit, quem in ſuo Chriſtianæ fidei tyrocinio Cōſtantinus Imperator adhærentem ſuo lateri habere voluiſſet monitorem, quem parentem dixiſſet, & filiali affectu coluiſſet, eum ipſum Oſium; quem & Arriani Synodorum principem dicerent & Nicæni ſymboli formulā concepiſſe omnes ſcirent; hunc, inquam, mirum eſt, in conciliabulo Sirnienſi ignominioſè proſtratum, turpiſſimè factum eſſe eiuſdem Nicænæ fidei proditorem; miſerandò nec aliàs audito exemplo.

Eſa.14. *Quomodo cecidiſti Lucifer qui vt ſol mane oriebaris.*

Oſij miſerabili caſu Catholicus orbis contremuit cōcuſſaq; ſolidiſſimæ petræ: Quis ergo de ſuo exitu poteſt eſſe ſecurus, ſi omnibus Synodorū laudibus Oſium celebratum, & ſcriptorum cūctorum temporum illorum præconiis exaltatum, tótq; ex diuerſis ac multiplicibus certaminibus coronis auctum, hominem in conciliis agētem patronū atq; magiſtrum videat tam inopinatè proſterni, ac inſtar ſalis infatuati pedibus conculcari. Meritò igitur abietes vlularūt, quia cecidit Cedrus, meritò paueāt, ſibiq; timeāt viri sācti, *Qui ſtat, videat, ne cadat.*

Vigil. martyr lib. 5. contra Euthyc.

Zach. 11.

1.Cor.10.

Cecidiſti, M. Antoni, ſed lōgè grauiori caſu ſub finem vitæ tuæ. Etenim Oſius plagis ac tormentis adactus, contumeliis ac minis Conſtantij victus ac præ ſenij ſui imbecillitate verberibus impar ad tēpus quidem ceſſit & fatiſcente iam æuo, cùm centenario maior eſſet, quodammodo delirauit; verū non ita eam rem pro leui habuit; moriturus enim quaſi teſtamēto ſuo Arrianorum vim proteſtatus eſt, & hæreſin ipſam Arrianam condemnauit vetuítque ne à quoquam ea probata reciperetur.

Athan. epi. ad Solit. & Apol.2. & Orat:1. contra Arria.

At verò, M. Antoni, vt fateris nulla verbera, nullæ te plagæ, nullæ te interminationes, aut ætatis infirmitas

ſirmitas adegerunt,quippe qui tantum ſexagenarius,& ſponte noſtrę religioni ceſſiſti. Oro itaq; te atque obteſtor vt ſicut ille ſenex & Epiſcopali dignitate inſignitus,ad partes hæreticorũ defeciſti tandem reſipiſcendo, quem ſecutus es errantem, ſequaris pœnitentem.

Illud Propheticũ Dauidis perpetuo ac ſemper occine *Ne proiicias me in tẽpore ſenectutis,& cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.* Ps.70. Memor eſto vnde excideris, & caue ne alius coronam tuam *& epiſcopatum tuum accipiat alter.* Apoc. 3. Teſtis eſt enim mihi Deus,me nõ Pſ.108. alio ad has preces ſpiritu moueri, quàm ex piâ & anxia tuæ ſalutis & aliorum ſollicitudine,quos peſtilenti doctrinâ potes inficere.

Fateor equidẽ te iam paulò longiùs progreſſum, quàm par ſit,téq; ex paterna domo tua inſtar Euãgelici perditi adoleſcentis portionem abſtuliſſe Luc.15. quæ te cõtingit,atque omnia inſtar Biantis tecum aſportaſſe,illos ſcilicet tuos de Republ.tuâ fictâ & ſimulatâ libros,cum iis te iam abiiſſe in regionem lõginquã. iam enim longa emẽſus es maria,multiſque adhuc periculis aquarum es expoſitus,nimio põdere oppreſſa tua nauis iam fluctuantibus vndis obruitur,ni tu dicto citius omnes tuos libros quos in potiſſimis opibus reponis, inſtar illius Græciæ ſapientis,in mare deiiciens exclames, *Ego vos mergam ne mergar à vobis.* Emerge itaq; M. Antoni, quò præceps ruis bone ſenex,ſine gubernaculo,& Cynoſura,niſi ad infames ſcopulos Acroceraunia ad vortices & vaſtos gurgites, vt diu periclitatus naufragium tandem patiaris. Vbi autẽ ventri genioq; forſan indulſeris in ea regione longinquâ, quò migraſti M. Antoni, & diſſipaueris omnia viuendo luxurioſè, tandem fame, inediáq; preſſus,

ſiliquis porcorum veſci te ſi neceſſitas coget, quibus tandem expleri non poſſis, ſaltem exclama, *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic ſame pereo.*

Si inſtar noui alicuius paralytici iam multos per annos in grabbato tui peccati languidè decubuiſti, tandem hominem quære, qui te in piſcinam probaticam mittat, in piſcinam, inquã, pœnitentiæ, licèt ſeræ ac tardæ, motis per angelum lacrymarum & contritionis aquis, quibus ſordes peccatorum tuorum eluantur, & audi iã illud Chriſti, *Surge, tolle grabbatum tuum & ambula.* Quin tu dic ipſe iam in te reuerſus, *Surgam & ibo ad Patrem meum.* Tu ſenio iam decrepitus, cũ tamen ille adhuc adoleſcens eſſet.

Surge igitur ac redi citò, ecce tibi pater obuius occurret, & amplexabitur, ruet in oſcula, te primâ innocẽtię, quâ vagus ſpoliatus es, ſtolâ induet, annulo fidei digitum ornabit, pedibus nouos affectuum calceos aptabit, conuiuio ſolenni Euchariſtico & charitatis excipiet, ac ſumma lætitia per-
Luc. 15. fuſus domeſticis viciniſque omnibus acclamabit, *Congratulamini mihi, congratulamini mihi, quoniam inueni drachmam perditam.* Communis, mihi crede, M. Ant. erit omniũ ouatio, communis applauſus, communis iubilatio, & ingens gaudium coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Quod ſi tamẽ iam traieciſti Oceanũ vt inter inſulas vndáſq; perpetuò verſêris, & propriis patriæ tuæ deſertis laribus, illic hærere obfirmato animo decreuiſti, non te ideo diris deuouebo, non infauſta tibi omnia imprecabor, ſed obteſtabor omni-
Pſ. 68. potentem Deum omnis miſericordiæ parentem, vt inter tot fluctuantes procellas, *non te dimergat tẽpeſtas aquæ, neque abſorbeat te profundum, neque vrgeat ſuper te puteus os ſuum.*

Errata ſic corrige.

fol. 1.
- Pagina 4. Si primò. lege. Sic primò. ſub fin.
- pag. 7. obliquiis. lege. obloquiis. ſub fin.
- pag. 18. mibitem. lege militem, in princip.

fol. 2.
- pag. 21. ſiquid. lege. ſiquod. ſub fin.
- pag. 27. agitatus. lege. agitatur. in medio.
- pag. 28. contuberinio. lege contubernio. in medio.
- pag. 29. apoſtaſis. lege apoſtaſia, in med.

fol. 3.
- pag. 33. gerant. lege. gerunt. in med.
- pag. 38 Soannim. lege. Solannim. in princ.
- pag. 40. populis. lege. populos. in fin.
- pag. 41. vaticinatus eſt. lege vaticinatus eſt Dñs,
- pag. 44. reſtringes. lege reſtringas. in med.
- pag. 46. Chriſtiana. lege. eccleſiaſtica. in med.
- pag. 48. λάον. lege λάου. in fin.

fol. 5.
- pag. 66. vtpote quod. lege vtpote quos. in med.
- pag. 74. conformationem. lege. confirmationem
- pag. 68. chriſtiana. lege. eccleſiaſtica. in fin.
- pag. 78. pontificiæ. lege. pontificia. ſub fin.
- pag. 80. adhorteris. lege. adhortaris. in princip.

fol. 6.
- pag. 87. allueret. lege. ablueret. in princip.
- Ibid. copiam ſuam. lege. copiam ſui.
- pag. 92. intercedentem. lege. antecedentem. in princ.
- Ibid. effugere. lege. effugies. in fine.
- pag. 93. triumuiratis. lege. triumuiratu. in princip.
- Ibid. fatura. lege. futura. in med.

fol. 7.
- pag. 96. effectum. lege. effœtum. in med.
- pag. 98. tum. lege. tam. in princip.
- Ibid. illum. lege illam. in princip.
- Ibid. frangere. lege. frangeris. in princip.
- pag. 100. ſit alis. lege. ſi talis. in med.
- pag. 102. Sirinienſi. lege. Sirmienſi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Si quæ ſunt alia orthographiæ & commatum errata, benignus lector condonabit.

Acta virum
probant

4.

– 11 –

Digitized by Google

BIBLIOTECA